
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
33 F
11



IOANNIS PL[illegible]

[illegible]

Varia Opuscula

[illegible]







VENETIIS.

[illegible]

IOANNIS PLANERII
QVINTIANI BRIXIENSIS
ARTIVM ET MEDICINAE
DOCTORIS

Varia Opuſcula:

- *Epiſtolæ morales.*
- *Patriæ deſcriptio: in qua de animorum immortalitate.*
- *Henrici Regis ad Vrbem Venetam aduentus.*
- *De Comete, 1577:*
- *De Lacte.*


CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS,
Apud Franciſcum Zilettum. 1584.

ILLVSTRISS.^MO ET REVER.^MO FERDINANDO MEDICI S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO,

Ioannes Planerius Quintianus.



Onsuetudo scribendi ad amicos epistolas mortalibus ipsis ita utilis, & necessaria semper fuit: ut sine hac consistere humanum genus rectè, & commodè non possit: hinc necessitudines, & amicorum colloquia, & rerum omnium commertia. Cæterũ cùm duo sint præcipua epistolarum genera, alterum familiare, & iocosum, alterum seuerum & graue, ut censuit M. Tullius: hoc tamen quod seuerum, & graue appellamus: longe nobilius, & utilius humano generi esse solet: quippe quod & errores nostros corrigat, & rectam uiuendi rationem nos edoceat, & instituat. Hinc tot præclara veterum monumenta, & aurea illa volumina ab antiquis conscripta, quæ nos in id, quod deterius est, iam prolapsos erigunt: & ne iterum prolabamur, instituunt. In hoc itaque potißimo scribendi genere laborauit omnis

antiquitas: Hinc moralis philosophia orta, à Socrate primum inuenta, & celebrata: mox à Platone, & Aristotele comprobata, & stabilita. Hoc igitur, quod secundum epistolarum genus superius diximus, nos sequuti, epistolas aliquot ad amicos conscripsimus: in quibus iuuentutem ad Dei cultum, ad honestatem, ad virtutes, & liberales artes excitauimus. Has autem epistolas Cardinalis amplissimè eò libentius ad te mittimus: quod Illustrissima domus tua studijs literarum florentissima semper extitit: in qua tot viri olim eruditissimi sub Laurentio Atauo tuo educati, & magnis præmijs donati sunt: Quorum Princeps Marsilius Ficinus, vir omni disciplinarum genere ornatissimus, & in Platonica disciplina consummatissimus. Floruit per ea tempora & Christophorus Landinus, qui Titum Liuiū, & Plinium in linguam Hetruscam transtulit: & in Dantem Alligerum, & in Virgilium, & Horatium luculentissima, & doctissima Commentaria conscripsit: Claruit & Politianus politioribus literis eruditus. Celebris & Leonardus Aretinus, & Petrus Crinitus. Omnes hi liberalissimum Laurentium Medicem suis scriptis illustrarunt: Cosmus autem pater tuus, magnus Hetruriæ Dux, et Prin

ceps

ceps Serenißimus, Laurentij uestigia sequutus, maiore etiam animi ardore literarum studia, bonasq; omnes artes iam collabentes erexit, & auxit. Nam bibliothecam Florentinam amplißimam reddidit: Et Pisis Gymnasium florentißimum maioribus quàm antea stipendijs constituit. Christianis Principibus aduersus Turcam classem parantibus magnis sumptibus, & multis triremibus auxilium attulit. Age uerò ad subleuandam paupertatem noua hospitalia in urbe construxit: Cosmus præterea pater tuus pater etiam patriæ, & literatorum omnium nouus Mæcenas, & Augustus extitit: nam qui suas lucubrationes, & labores Cosmo dicarunt, & consecrarunt, Principem eundem liberalißimum experti sunt. Te verò Cardinalis humanissime quo nam silentio inuoluam? cuius virtus, probitas, & liberalitas non patriæ, & vrbi Romanæ solum, sed orbi terrarum clara, & celebris semper illuxit. Venetijs. MDLXXXII.

ILLVSTRISS. VILLAE CLARAE COMITI ALPHONSO MARTINENGO, DOMINO HVMANISSIMO

IOANNES PLANERIVS.



VM Venetijs essem, delatus fuit ad me liber hic De laudibus Venetis ab hæredibus Ioannis Francisci Quintiani Stoæ, Poetæ, & Oratoris Clarissimi, quem librum iam multis annis antea uideram, & Quintianis uitam descripseram: libuit etiam tunc librum hunc ad doctissimos Venetæ ciuitatis Poetas, & Oratores deferre: placuit & ipsis mirum in modum libri lectio: Horum alij copiam dicendi, & uenustatem, alij artificium, & eruditionem mirati, authorem operis summopere laudarunt: orabant etiam me ne tanti uiri labores in tenebris delitescere permitterem. His adhortationibus accensus ego, & rem mihi laude dignam, & eruditissimis illis uiris gratissimam me facturum existimaui, si opusculum hoc impressoribus cudendum traderem. Accessit ad hanc animi mei ad edendum opusculum propensionem singularem, amor patriæ, & uetus inter me & Quintianum amicitia: ingratus sanè in ipsum uideri poteram, nisi aliquas eius uiri uigilias uiuentibus, & posteris legendas traderem: idque sola arte impressoria mihi fuerat præstandum. Dum hæc cogitassem: tibi potissimum Alphonse Comes Illustrissime opus hoc dicandum esse uolui: tu enim in adolescentia cum fratre tuo Aenæa Comite sub Quintiani disciplina in re literaria multos annos militastis: rectam & dicendi, & scribendi artem percepistis: facultatem oratoriam, & poeticam imbibistis. Suasit etiam ad impri-


imprimendum ſumma patris tui olim erga Quintianum obſeruantia: quem æque ac patrem ſibi conſtituit amandum: fouebat enim pater tuus Bartholomæus Comes Illuſtriſſimus doctorum hominum ingenia: hi erant, Lucarnus frater Franciſcanus, Theologus, & concionator maximus: Lucas Gauricus, Aſtronomus peritiſſimus: Nec ſilentio inuoluenda eſt diſciplinæ militaris peritia, in qua ipſe ſub Illuſtriſsimo Senatu Veneto: ſub Carolo Quinto Cæſare: & alijs Principibus ſtipendia meruit: multarum Vrbium gubernator extitit: Accipe igitur Alphonſe Comes Illuſtriſsime, & humaniſsime hanc copioſiſsimam, & eruditiſsimam De laudibus Venetis impreſſam Quintiani hiſtoriam: quam ſi tibi placuiſſe ſenſero, ad edendum etiam reliqua eius uiri uolumina meipſum excitabis.

Brixiæ. 1583.

INDEX.

IOANNES FORESTVS BRIXIANVS IOANNI PLANERIO QVINTIANO DOCTORI EGREGIO,

S. P. D.



VM id laboris, & negocij nobis ab Illustrissimo Senatu Veneto impositum, atque iniunctum fuerit: ut, quæ literarum typis committenda sint opera: diligentius prę uideamus, aduertamusque uti critici, ne quid contra sanctam, & Catholicam religionem Christianam, aut contra bonorum morum candorem, bonamque Principum existimationem imprimatur: tuarum epistolarum libellus Planeri Doctor excellentissime nobis ante impressionem præuidendus delatus est. Quo uiso, lecto, & relecto, sic affecti sumus, ut non solum impressione, sed immortalitate dignissimum opusculum iudicauerimus: non solum, quòd candidum, castum, pudicum, & integerrimum uidimus: Sed etiam, quòd elegantiam, pietatem, & sanctissimas admonitiones tuas odorem suauitatis redolentes perspeximus. Nam quas tu ad amicos, & quas amici ad te scripserunt literas, ea uitæ honestissimæ documenta, & doctrinæ, ac sapientiæ præcepta in se continent: ut non possit non utile esse, non commodum, non salutare, non omnibus legentibus acceptum opus: in quo tanquam corpusculo quodam caro, succus, sanguis, uena, nerui, color, & species pulcherrima se se omnibus offerat conspicienda. Quid de uerborum, & sententiarum dignitate referam? Verba aut propria, aut propriè, & aptißimè translata orationem ipsam tuam maximè exornant. Sententiarum autem dignitas philosophica, & maiestas oratoria sic in huiusmodi epistolarum elegantia uigent, uirent, & florent, ut ex floribus fructus uberrimos & sperare, & expectare facile poßimus: Age uerò quid de patriæ tuæ descriptione dicam? Non Quintiani oppidi typum, formam, situm, montes, ualles, loca amœna, loca fertilia, loca ab Oriente, ab Occidente, à dextra, & sinistra sése offerentia legere, non ut in tabula depicta perspicere, & contemplari, non uti penicillo ante oculos proposita, sed proprijs oculis omnia cernere, & contemplari uisi sumus. Catalogus uerò doctorum hominum, & eorum, qui in

rebus militaribus præstiterunt, uiri, & Duces magnanimi ex ista patria tua orti, & optimè educati sic nos ceperunt, sic animos nostros oblectarunt, ut nihil ea narratione gratius, & rerum gestarum expositione iucundius, nihil denique admirabilius nobis potuerit occurrere. Ea enim ab ijs & doctissimis uiris, & Ducibus strenuis edita, & gesta sunt opera: quæ & eorum uirtute, & nomine dignissima, & à patriæ splendore non aliena intelligantur fuisse. Pulchrum quidem est, à patria nobilissima ortum, & originem, atque educationem habuisse: Sed patriæ splendore opera, & gesta dignissima præstitisse, non minus est laudabile, non minus est admirabile, nec minori corona laudis dignum habendum est. Quamobrem Planeri doctissime tibi maximè gratulor, & de patriæ tuæ amplitudine, & de uiris illustribus ab ea in lucē editis, ac de eorū rebus præclarè gestis: Gratulor etiā eorum uirorum uirtuti, quæ diuinis laudibus abs te fuerit illustrata. Gratulor demum patriæ tuæ, quæ tot uiros doctissimos, & Duces magnanimos procreauerit, aluerit, & optimè instituerit. Quorum nomine, fama, & splendore tu ipse non indignus nostra tempestate in arte medica tantum præstas, ut cæteris Medicis (pace eorum dixerim) palmam facilè eripueris. Sed ad institutum nostrum, & ad opus tuum redeat sermo noster. De animi immortalitate doctissimorum virorum testimonijs, & philosophorum authoritate, ac prophetarum oraculis sic ingeniosè, & eleganter disseruisti, ut dubij nihil possit esse, quin, quæ nostra fide, & Christiana religione Catholica complexa sint, uerissima, & sanctissima habeantur: cùm abs te tantorum authoritate uirorum sic comprobata fuerint, ut cæci etiam uideant, ueritatem ipsam nec tenebris obscurari, nec machinis oppugnari, nec ullo impetu opprimi unquam potuisse. Illud etiam, quod maximè admirati sumus, obliuisci non possumus. Tu enim in furore Martis impij, atque in direptione, ac depopulatione urbis Brixiæ à Gallis captæ, & in ea, quæ subsecuta est, pestilentiæ sæuitia describenda, sic copiosè, sic facundè, sic eleganter, sic artificiosè, & expressè nobis ante oculos omnia proposuisti, & tanquam in tabella expressisti, ut non legere, sed & uidere, & cernere Martis, & Bellonæ sæuitiam, stragem, & euersionem, rerumque direptionem horrescere nos timentes, & trepidantes uisi simus. Pestilentiæ uerò immanitas sic sæuire, furere, ac debaccari nobis uisa est, ut non descriptionem abs te nobis ante oculos propositam, sed ipsius pestis debaccantis miserrimam stragem, mortuorumque aceruos, & cadauera alia super alia imposita non absque metu, & trepidatione nos penè exanimatos, percurrere, & conspicari crederes: Tanta est tua in scribendo felicitas, ut res ipsa non enarrari, non describi, sed & agi, & depingi uideatur. Illa quoque fœda tempestatis, & grandinis

7

nis calamitas post Brixiæ depopulationem secuta, abs te elegantissimo stylo, & iucundissima dicendi copia, & suauitate descripta, expressa, atque ante oculos proposita mirum in modum nos affecit, nos cepit, & oblectauit: & præcipuè, quòd in tanta ærumnarum strage, in tanto tempestatis diluuio, in tanta demum annonæ, & rerum omnium penuria (cùm tibi nihil reliqui fe cisset fortùna præter quædam reliquiarum fragmenta) sic uirtute duce, & patientia comite ex tanto procellarum periculo enatasti, ex tanto naufragio euasisti, atque exiluisti: ut tuam animi constantiam, tuum uirtutis robur, tuam denique in Deum optimum maximum pietatem (cùm nunquam animum desponderis) non potuerimus nos non maximè admirari. Plura in illa patriæ tuæ descriptione occurrunt nobis maximè admiranda, sed non omnia hoc in sermone nostro sunt complectenda. De appendice etiam operis tui non possum non aliquid dicere: in ea enim multa paucis complexus es: ut quæ magna oratoris uirtus habetur, in te fulserit breuitas egregia, & admirabilis. Nam quæ de bello Turcico, ac de uictoria Venetæ, & Christianæ classis perstrinxisti, ea longiori oratione, & historia explicari, atque enarrari potuerunt. Verùm tu breuitati seruiens, breuissimè complexus es omnia, quæ auribus hominum, & animis non ingrata censuisti. Qua quidem in re non possum equidem laconismum tuum non maximè admirari, & commendare. Sed iam tempus nos uocat, & inuitat, ut de enarratione illa elegantissima in qua de Christianissimi & Poloniæ, & Galliarum Regis Henrici tertij ad urbem Venetam aduentu felicissimè egisti: paucis agamus, & paucis rem ipsam expediamus. Doctorum hominum studia, & ingenia in ea enarratione maximè elaborarũt: ac multum, ac diu inuigilarunt: ut res tanta, tam noua, tam admiranda, tam omni memoria, & admiratione digna dignissimè exprimeretur, elegantissimè effingeretur, & tanquã in speculo lucidissimo spectaretur. Multi Hetrusca, multi Latina, multi etiam Græca, & Hebraica lingua rem tantam, nouam, & admirabilem aggredientes tentarunt, & scopum ipsum feliciter attigerunt. Sed tua Planeri descriptio elegantissima omnibus omnium suffragijs uictrix triumpho dignissima habetur. Nam qui Latinè, qui Hetruscè, qui Græcè, qui Hebraicè scripserunt: tibi uni inuentione, ordine, & elocutione cedunt. Plura enim quàm alij, inuenisti: loco suo collocasti: uerbis, & sententijs exornasti: ex quo multum laudis, & gloriæ tibi peperisti. Quamobrem Quintiane Doctor ex cellentissime, uti superioribus mensibus opus tuum etiam de febribus, & de diebus criticis abs te editum in manus hominum, & in lucem edendum esse iudicauimus: & iudiciũ nostrum frustratum non est nos: sic etiam istud epistolarum tuarum uolumen unà cum patriæ tuæ descriptione, cum operis ap-

pendice, cum enarratione aduentus Regij ad vrbem Venetam extra limen ad utilitatem hominum emittendum iudicamus. Cùm enim ex Stoicorum senten tia homines hominum causa natis simus, ut alij alijs uicißim prodesse studeamus: non poteris non maximè approbari: cum studio tuo, doctrina, & sapientia quibus poßis, prodesse studeas. Habes iudicium meum Quintiane excellentißime ex beneuolentia mea in te singulari profectum. Fac me mutuo ames, & ut ego tui, sic tu sis memor mei. Vale. Venetijs, ex Gymnasio nostro. M. D. LXXXII.

IOANNI PLANERIO QVINTIANO Artium, & Medicinæ Doctori eximio Ioannes Baptista Bosellus, S. P. D.

QVAM *nefario detestabilique scelere astringantur, qui fruges, & reliqua, quæ terra parit, obsessa tenent, ac supprimunt, hi optimè norunt doctißime Quintiane, quos non fugit, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia ea lege creari, ut obsidentium animis tanta labes aspergatur, quanta nec diuturnitate uanescere, nec ullis aquis, manibusve elui potest; quique nihil iniustè faciendum esse censent, etiam si omnes Deos, hominesque celare possent: Sed quò salubriora ad usus uitæ necessarios sunt, quæ occultantur, eò uehementius in homines peccant, qui ea inuoluunt, cùm hominum commodis magis officiant: Atqui nullum latere arbitror, quæ pluribus prosunt, si palam omnibus proponantur, cùm pluribus obsint, si abdantur, insigniori nota condemnandos, turpiorique macula notandos esse, qui ea occultarint: Et quæ maiori adiumento homini sunt, qui hominem priuari patiuntur, id ipsis in nefariori crimine, & capitaliori fraude esse ponendum homines prædicant: cùm maiora hominibus per ipsos detrimenta importentur. Sed quis, quæso, neget opera, in quibus præstanti, & eximio ingenio uiri noctes, diesque maximè urgentur, plurimum ualere ad absolutionem, & perfectionem, quæ in nobis omnibus magnopere desideratur, si uirtutis compotes, uel potius si viri esse uolumus? ipsa enim opera ad Christianam religionem sanctè suscipiciendam nos instituunt: in qua Dei opt. Max. cultus est optimus, idemque castißimus, atque sanctißimus, plenißimusque pietatis, ut eum semper pura, integra, & incorrupta mente, & uoce ueneremur: eiusque consectatores Diuos castè colamus. ipsorum item operum præceptis imbuti ad bonorum consuetudinem, moresque ita deducimur, ut benè morati, & boni uiri iudicemur: quod magni interest ad decus, & laudem*

dem

8

dem hominis. Nam qui ita moratus est, ut ratio postulat, in amplissimo dignitatis gradu saepe locatur, sic ut illi nihil neque ad honorē, neque ad gloriam acquirendam deesse putetur. ipsis etiam operibus bonam corporum habitudinem, sanitatem, & ualetudinis integritatem acceptam referamus, necesse est, quoniam sicut ad leniendas leuandasque animorum ægritudines nihil magis, quàm librorum lectio proficit, sic remedia, quibus eorum, qui corpore infirmi sunt, sanitati subueniunt, nusquam ualidiora, quàm ibi inuenire possunt, qui corporum ęgrotationes, & morbos curare profitentur: & quę uel alijs, uel sibi inde comparant, licet aliquando dolorem faciant, salutaria tamen experiuntur: ipsa quoque opera non modo omnes artes, sed & regulam, & leges, quibus magnarum disciplinarum, & artium scientiam habere possimus, nos edocere fatentur, qui interiores, & reconditas literas scrutantur. Nam qui nihil libros, nihil literas, nihil doctrinam prodesse nobis affirmaret, ea illius esset stultitia, ut eum nemo hominem appellare posset, eumque ex numero hominum eijciendum, & ex finibus humanæ naturæ exterminandum putarem. Quid enim nobis proponi potest, cuius scientiam, explanationemque a libris non perfectè habeamus? Ab ipsis postremò operibus, ne uager latius, & quàm conueniat, longius digrediar, sic instituimur & ad omne officij munus sic instruimur, ut optimè instituti, & perfectè eruditi ad illud perfectionis genus, & quod omnes in se uirtutis numeros continet, & cui nihil addi potest facillimè perueniamus. Hinc factum esse, elegantissime mi Quintiane non ignoras, ut, cùm ad laudem, & decus nati simus, & decoris, honestatisque causa omnia nobis adeunda sint pericula, nec aliunde melius id, quàm à doctorum uirorum lucubrationibus petere possimus, res in eam opinionem uenerit, ut omnium sit sententia, libris insudandum, & in literis uitam agendam esse: quo uirtutibus ornemur, quarum fructus honestissimus est laus, & gloria: maximèque laudandos, qui huiusmodi labores, studiosis utiles susceperint: Et summopere uituperandos esse, qui cùm possent, id efficere negarint: Nam ea conditione homines nascuntur, ut nihil, quod homini prodesse possit, recusare debeant: Sed in maiorem uituperationem nullum posse cadere existimandum est, quàm qui homines uel suis, uel eruditissimorum uirorum scriptis fraudari permittunt. Age igitur, amantissime mi Planeri, ut id sceleris in homines haud facias: Caue, ne tuū politissimum epistolarum libellum hominibus adimas: & ne homines, quæso, tam eleganti, tam perfecto, & tanta industria elaborato opere priues: quem cùm attentè legerem pro officij munere, atque onere nobis ab Illustrissimo Senatu Veneto imposito, ut quæ in lucem librariorum notis proferenda sunt opera, summo studio præuidentes diligenter aduertamus, ne quid in hominum manus perueni-

re pa-

re patiamur, quod à Sancta, & Catholica Religione Christiana aliqua in re declinet, nec quod à bonorum morum disciplina trāsuersum unguem degeneret, nec Principum existimationem usþiam uiolet, atque offendat: Sape tui ingenij magnitudinem adeo sum admiratus, ut non solum dignum opusculum censuerim, quod in omnium hominum conspectu esse auderet, sed ipso occultato maximam iacturam facturos homines pro certò habuerim. Quamobrem & ueræ amicitiæ leges, quibus cautum est, ut nihil se se amicus plus quàm alterum diligat, non seruasse, & mihi ipsi, qui sic soleo, ut nihil mea magis, quàm amicorum causa cupiam: & quod mihi molestum censeo, amicis non iucundum arbitrer, iniuriam fecisse uiderer, nisi has ad te literas dedissem: quibus & te hortarer, ne, dum uita suppetit, quam ultra centesimum annum te producere Deus Optimus Maximus faxit, quid prætermittas, neu laborem ullum, quem posteris usui futurum existimes, subterfugias: ut, quod optimus quisque factitat, posteritati maximè seruias: & tibi suaderem, ut quam in rem multum operæ, & studij contulisti, in ea neruos omnes contendas: ut quod occultum est, in lucem proferatur opus: quò tanti flagitij infamiam effugias: & simul quantum, & cuiusmodi, & omnino quale tui uel singularis ingenij, uel præclari operis meum esset iudicium intelligeres. Conspexi enim tantam esse tui sermonis facilitatem, ut omnibus notus, & atticus sis: ita distinctam, & frequentatam uerborum, & sententiarum luminibus, ut dicendi copia summa, & mirabilis erumpat: ad latinorum uerborum elegantiam oratoria omnia ornamenta adiuncta. Sicut eloquentia, quæ ex uerbis, & sentētijs constat, singularis exeat: adeò cōiuncta, et cōtinuata uerba, ut quæ Græci χρώματα uocant, in pingendis, & illuminandis sententijs maximum pondus habeāt, a & translata uerba, quasi stellæ, orationem illustrent: Sed quid moror? Nullum lumen, nullum orationis florem, nullum denique uerborum ornatum prætermissum cognoui: Sed dicendi uim summa festiuitate, & uenustate coniūctam: Et tantum esse iucunditatis fructum, ut te omnes pro tui sermonis eximia suauitate amare debeant: itaque in publicum prodeas opus, ut qui auctori tuo ex te fructus debentur, eos uberiores, & præstantiores auctor ipse capere possit. Secus enim ingrati animi crimen te horruisse nemini persuadere potueris, & ἀδύνατον erit, ut tantā labem, & infamiam adeò magnam fugias: Nā qui labores huiusmodi studiosis utiles suscipiunt, quoniam nemini emolumento sunt, si inclusi, atq; abditi in occulto latent, in re quam maximè desiderant, ut studiosis ipsis consulant, plurimum fraudantur. Et tu mi iucundissime Planci caue, ne iure tibi opus ipsum obiiciat, quòd non exierit, & in uulgus tua culpa non emanarit. & Bosellum tuum, qui te sicut alterum parentem et obseruat, & diligit, ut soles, ama. Vale. Venetijs ex nostris Aedibus. 1583.

ἀποστροφὴ ad opus.

IOAN-

IOANNES PLANERIVS Quintianus Candido lectori.

EXAMINATIS sectarum opinionibus: cùm Christiana religio omnium sit certißima, uerissima, & sanctissima: propterea qui in ea sunt obstricti, honestè etiam ab ijs, & patienter agendum, Deumque colendum, & proximum amandum esse. Et ne sacerdos ille uitam silentio pertranseat, quò facilius ipse linguarum, scientiarumque omnium cognitionem consequatur: ordinem, & rectam methodum candide lector tradidi. In I. Epistola. In secũda

Qui uerò claris parentibus sunt orti, eosdem etiam paternis admonitionibus meis à maioribus non degenerandum esse hortatus sum. In tertia. & quarta.

Linguarum etiam peritiam sine naturalium rerum cognitione, ad consequendam facultatem oratoriam, uel nihil, uel parum prodesse, ipso Cicerone teste, lector optime demonstraui: quandoquidem M. Tullius alteram ab altera nunquam disiunxerit: neque contra, quis perfectus orator, aut philosophus habebitur, nisi prius linguarum cognitionem, & elegantiam adeptus fuerit. Hinc digressione illa mea partes omnes philosophiæ naturalis proprijs libris Aristotelicis enumeraui. In quinta

Et Aristotelem naturæ interpretem, ac philosophiam humanæ uitæ parentem, & magistram, quibus potui laudibus, ad cælum extuli. In eadem Prætoris optimi officium tradidi. In sexta.

Aemulationem in uirtute, summè commendandam esse, probatissimis scriptoribus conclusi: Et cùm Francisci Quintiani conterranei mei interitum deploro, mortem tamen timendam non esse, & animorum immortalitatem rationibus philosophicis demonstraui. In Septima.

Gentem Iudaicam, impiam, & detestandam esse, multis exemplis, & authoritatibus, atque eandem, in depopulatione Vrbis Brixiæ, patriæ meæ fedissima, & crudelissima perpetrasse facinora meis literis ad Bembum scriptis significaui. In nona.

Animam intellectiuam, æternam, & immortalem, non unam, sed multiplicatam, non assistentem ut nauta naui, sed informantem, & dantem esse, ut rectè censuit Catholica fides nostra, demonstraui. In decimaquarta


Pueros, & adolescentes, scriptoribus uanis, & obscœnis penitus reiectis, tetrica seueritate, & honestate instituendos, disciplinis, moribusque sanctissimis à præceptoribus erudiendos esse censui. In vigesimasexta.

In philosophia præterea naturali, qui Aristotelis interpretes, tam Græci, quàm Latini sint euoluendi, & disputandi exercitationem necessariam esse iudicaui. In vigesimaseptima.

Ioanni


Ioanni Paulo nepoti meo rectam & uiuendi, & ſtudendi rationem indicaui. in trigeſimaſexta. & trigeſimaoctaua.

Hæc, & multa alia candide lector his in epiſtolis à me ſunt ſcripta, & à ſuperioribus meis approbata: Faxit Deus ut bonarum artium ſtudioſis, meis his uigilijs uſum aliquem, & utilitatem afferamus. Venetijs. 1582.



IOANNES PLANERIVS QVINTIANVS AENAEAE DVCHO RELIGIONEM INGREDIENTI. S. P. D.





CVM duæ ſint in humana uita uiæ, Aenæa dilectiſsime, altera ad religionem, altera ad matrimonium, illa certè quæ ad religionem & tutior, & ſanctior, & ad Dei cognitionem facilior. Quare tibi hanc non iniuria expetendam, & amplexandam propoſuiſti: in hac & uiuendum, & moriendum: in hac ſummi Dei bonitatem, clementiam, miſericordiam, iuſtitiam, omnipotentiam, ſapientiam contemplandum. Cæterum cùm nulla ſit in terris gens tàm barbara, tàm immanis, quæ religione aliqua non ſit obſtricta, hæc tamen religio, quam nos profitemur, quamque certiſsimus author Chriſtus inſtituit, ac nobis ſeruandam reliquit: omnium eſt uerißima, & certiſſima, quæ nos ad æternam illam beatitudinem poſt uitam hanc caducam, & mortalem adducit: in qua tot uiri ſanctitate, & erudtione clari floruere: & ad quam defendendam, mortem etiam ipſam obire non dubitarunt. Reliquæ omnes ſectæ, aut imperfectæ, aut uanæ, & ſuperſtitioſæ: nam Hebræorum lex à Moſe decem præceptis, duabus tabulis ſcripta, quoniam aduentu Chriſti nondum fuerat illuſtrata; propterea, ut imperfecta, à Sacroſancta Romana Eccleſia eſt credita. Aliæ uerò omnium gentium leges & uanæ, & delirijs, præſtigijsque inuolutæ: nam oracula omnia, Delphica præſertim, diabolicis falſitatibus erant referta: quæ aduentu Chriſti ita ceſſarunt, ut nulla amplius reddiderint reſponſa. Quid uerò Maumethana lege uanius, & inſanius? Quid hodie in terris Hebræorum opinione ſtultius? qui Meſsiam ſuum uenturum expectandumque ſomniant. Chriſtus itaque lux gentium, & orbis, legem nobis mitem, ſuauem, leuem ſeruandam tradidit. Religio autem hæc noſtra & ſi ſit in plures ordines, & cœtus, uelut genus in ſpecies, diuiſa: Vna tamen eſt omnibus religio: in omnibus ſub altiſsimo Euchariſtiæ ſacramento unus adoratur Chriſtus: O myſterium admirandum: Capit pauca illa panis quantitas quem cœli, & elementa capere non poſſunt: minimi ſacerdotis ri-

Epiſtola prima.

tè operantis mysterio Christus ipse in sacratissimam descendit Eucharistiam: propterea sacerdotalis dignitas, quoniam sola sacris operatur, in honore semper maximo est habita. Hæc cùm ita sint Aenæa dilectissime oro, atq; obtestor, ut in ea religione, quam tibi elegisti; & honestè, & patienter agas. Ex ædibus nostris, nonis Augusti. M. D. LX.

EIDEM RELIGIONEM ingresso.

Episto. 2. MEVS *in te singularis amor, summaque pietas, facit, ut ad Dei cultum, & ad uirtutem hortari te non desinam. Primum itaque Deum ipsum cœli, & terræ summum opificem toto corde, & mentem colendum, & adorandum tibi putes: quem ne offendas cauendum semper, & euigilandum. Sed & proximum tuum, sicut te ipsum, amandum, & adiuuandum euangelica hortatur lectio. Vide quid dux, & princeps noster Christus egerit, ac nobis seruandum præceperit: ipse in primo uitæ limine egenus, profugus, ærumnosus, conuicijs lacessitus, mortem denique sordidam medius inter latrones passus: nam in præsepe inops inter iumenta nasci uoluit: mox Herodis iram fugiens, cœlesti nuntio admonitus, puer ex Iudæa in Aegyptũ profugit: ibi calamitatibus, laboribus uitam transigit: demum in iudeam reuersus, Hebræorum inuidia in crucem sublatus. Quoniam uerò omnis Christi actio, nostra est instructio, propterea in Christum, ut in speculum contemplandum te ipsum excites, hæc certa salus, hæc ad cœlum rectissima tutissimaque uia. Si quid autem inceptandum, & auspicandum tibi fuerit, quod ad laudem, & honorem Dei spectare uideatur, diuinum auxilium prius inuocandum esse putes. Quoniam autem mente, & intellectu cæteris animantibus præstat: ita qui uirtute aliqua sit præditus, cæteris hominibus antecellit: propterea ad uirtutes, & liberales artes animum tuum adijcias, quas assequi minime poteris, nisi prius in utraque lingua te ipsum exercueris: primum itaque clasicos authores omnes tàm Græcos, quàm Latinos, comicos dico, Rhetores, & historicos euoluendos tibi duxeris, atque ita ex multiplici, & uaria lectione linguæ facilitas, & elegantia conflabitur: in his studijs aliquot annos immorandum, mox ad philosophiam progrediendum: ea autem cùm multiplex, uariaque sit, atque in plures sectas diuisa & distributa, illa tamen quæ Peripatetica nuncupatur, quamque Aristoteles princeps constituit & ordinauit, omnium est uerissima & artificiosissima, & ad humanam societatem conseruandam accommodatissima in ea diutius quàm in reliquis commorandum, quippe quæ uiam rectasque semitas humanæ uitæ commonstret, & ad De cognitionem facilius*

Luc. 10.

facilius & expeditius iter ostendat: nam qui ante Aristotelem philosophati sunt, nonnulli puerilem & rudem, sicuti Thales & Anaximander, nonnulli perfectam quidem, sed ęnigmatibus & inuolucris refertam philosophiam tradidere, sicuti Parmenides & Pytagorici omnes, ut dicit Themistius, Plato autem Pythagoricorum uestigijs inhærens lucem quandam naturali philosophiæ attulit, & quæ supra naturam sunt, absolutissimè cognouit. Cæterum Aristoteles in naturalibus ordinem adinuenit, & priuationem à materia distinxit, & naturam efficientem causam propinquam, & non organicam felicius expressit, uniuersam demum philosophiam clariorem & illustriorem reddidit, quam syllogismis & demonstrationibus stabiliuit, & confirmauit. Hæc & multa alia in hanc sententiam de Aristotele Themistius. Platonis, & Aristotelis comparatio.

Sed & hæc Aristotelis philosophia in naturalem, & moralem diuiditur: in naturali prius, mox in morali insudandum, naturalis ob id appellata, quòd naturalium rerum causas, principia, & elementa, atque accidentia propria, & communia edoceat, exempli gratia, quæ sint hominis principia, & eius accidentia? nam hominis principium materiale propinquum, humores, remotum, elementa, remotissimum, materia prima, accidens proprium risibilitas, accidens commune, moueri, quiescere, alterari, sed apud Dialecticum, principium hominis propinquum, & intrinsecum animal rationale.

Moralis ob id nuncupata, quòd uirtutes morales demonstret, quales sunt, iustitia, abstinentia, prudentia, audacia, fortitudo, diuitiarum, mortisque contemptio, liberalitas, bonitas, ueritas. Vtraque ab Aristotele pluribus uoluminibus tradita, sed nec in hac, nec in illa consenescendum. Ad theologiam, ut ad supremam, tanquam per gradus ascendendum. Et hæc à Principe Christo, Paulo, & ab ecclesiæ Doctoribus scripta. Hieronymo, Augustino, Gregorio, & Ambrosio, et à Scholasticis magistro sententiarum Petro Lombardo. Thoma, & Scoto. Cæterum Thomas clarius & apertius ipsam interpretatur. In Theologia tandem conquiescendum, & cum Dei benedictione uiuendum & moriendum. Idibus Augusti. 1560. ex Aedibus nostris.

IO. P. Q. FRANCISCO MAVRO adolescenti, Patritio Veneto.

GRATVLOR *tibi Francisce Maure, quòd post humanarum literarum studia, philosophiæ nunc etiam incumbas. Speramus omnes te in eum uirum euasurum, in quem patris tui patruum euasisse uidimus. Satis enim constat Xanctum uirum Clarissimum tãtum literis, ingenio, & eloquentia præstitisse, ut & publicè hac in urbe disputauerit, & conclusionum etiam suarum* Epist. 3.

librum in lucem ediderit. Quantum igitur ille in philosophia, & Theologia studijs praestitit, tantum in ijsdem enitendum, praestandumque tibi erit. Et quemadmodum ipse studiorum suorum exemplar magnum posteris reliquit, ita etiam tu eius vestigia secutus specimen ingenij tui aliquod uiuentibus aliquando edas. memineris te & ex nobili familia, & ex claris etiam parentibus ortum, propone tibi ante oculos maiorum tuorum simulacra, praeclara eorum exempla, in quibus, ut in speculo, & contemplandum, & ad ipsorum imitationem efformandum te ipsum putes. Caue obsecro ne praeclaram istam ingenij tui indolem uel socordia, & imperitia, uel labe aliqua inficias: Cogita quantum differat doctus ab indocto, probus ab improbo, iustus ab iniusto, uirtus à uitio, quae à Dialecticis contraria nuncupantur. ne fallas expectationem quam de te concepimus, non desunt qui te ad uirtutem excitent, non deerunt rursus qui ab ipsa te dimoueant, & auertant, tu ab eadem, ut à scopo ne deflectas. Illud etiam admonuisse te uelim, ut tuis in studijs eum ordinem serues, quem & natura, & ratio ipsa exigit, prius igitur principia & fundamenta, mox quae à principijs deriuantur, ediscas: sic enim uniuersa studij tui structura, & compositio non corruet: prius itaque Aristotelis contextum, mox quid dicant interpretes, ultimo quaestiones intelligas, hoc ubi te assecutum esse cognoueris, tunc ad disputandum, & interpretandum te conuertas, atque hac in arena & palaestra continuè, & diu te exerceas. haec si feceris, breui, summus philosophus, & orator in patriam reuersus, in foro, in Senatu, tuo eloquio, omnium oculos in te conuertes: Illud maximè optarim, ut in syllogismo simpliciter, in topico, & demonstratiuo te ipsum exerceres: sic enim formam, & modum argumentandi, & sedes argumentorum facilè perdisceres, qua in re, tota oratoris uis consistit, ut rectissime in Analyticis & Rhetoricis Aristoteles in Topicis & libris de Oratore. M. Tullius tradidit superiori aetate ex senatorio ordine, in philosophia floruerunt Hermolaus Barbarus, & Hieronymus Donatus, quorum alter Themistium, alterum Alexādrum, duo praecipua in Aristotelē lumina, transtulit. hos & imitandos, & quod Deus Opt. Max. faxit, superandos esse tibi in animo proponas, in hoc enitendum, in hoc insudandum. Venetijs 3. Idus Septembris. 1557.

REVERENDO D. VIDAE IVNIORI Cremonae Canonico, Io. P. Q.

Epist. 4. CREMONA *Romanorū olim colonia, patria tibi charissima praeter multa sui partus monumenta, in facultate certè oratoria, atque in arte poetica, duos aetate nostra ueluti sydera duo fulgentissima immortales mortalibus exhibuit,*

hibuit, Lampridium scilicet, & Hieronymum Vidam, auunculum tuum amantissimum: nam Lampridius Patauij primũ, mox Mantuæ literas Græcas multa nominis celebritate docuit. Vida uerò poetarum hodie & oratorum eminentissimus, olim Leonis Decimi Pontificis Maximi à secretis, Christeidem suam orbi terrarum non perlegendam solum, sed ediscendam tradidit. Scripsit & præclara alia poemata, quæ passim in bibliothecis circumferuntur, & in scholis perleguntur, optarim, ut uiri eruditissimi uestigia secutus, literarum studio, bonisque artibus incumberes: atque hominem si non superandum, imitandum saltem tibi in animo proponeres: nam & ætas iuuenilis, & uiuida: & quod omnium ad emergendum maximè est necessarium, opes tibi suppetunt: & amplum nactus es patrimonium: & sacerdotia etiam multa auunculi tui liberalitate in te collata: propterea ad consequendam uirtutem facillimum tibi paratum est iter: magnam certè, quam de te excitasti, expectationem sustines: eam ne fallas, tibi enitendum. Brixiæ, Calendis Augusti. 1558.

IO. P. Q. PAVLO MANVTIO Amicissimo S.

RECTE *quidem mea sententia, ac iure optimo à te factum uideri debet, quòd intermissis humanioribus literis, ad grauiora philosophiæ studia animum quandoque adieceris, ac non solum Ciceronem, sed & ipsum Aristotelem euoluendum tibi duxeris. Quod ut faceres, me tibi aliàs consuluisse non inficias ibis. nihil enim tua illa facundia ac dicendi scribendique facilitate efficias, nisi etiam quæ dicas et scribas habeas: ac demum res ipsas sensibus subiectas intrinsecus cognoscas: cognitas uel uoce exprimas, uel literis scriptas mortalibus intuendas porrigas: nam uox à natura est homini data: ut species, rerumque simulacra extrinsecus sensorijs nostris obiecta, mox animo menteque concepta, uoce tandem ut instrumento proferamus: uel literis, hominibus, amicis præsertim, nota faciamus: ut rectissime Aristoteles primo de interpretatione nos docuit: à Cicerone autem Latinæ linguæ puritatem, elegantiam, & artificium. Sed ab Aristotele præter hæc, rerum omnium cognitionem, corrupiibilium præsertim consequimur: Cæterum nec ipse Cicero eam immortalitatis laudem consecutus esset, nisi & Aristotelicus & Platonicus esse maluisset, ut suis inscriptis testatus est. Sunt & nõnulli eius libri dialectica philosophiaque refertissimi Topicorum uidelicet libri duo. Thusculanæ quæstiones, Disputationes academicæ. De natura deorum, De finibus bonorum, & malorum, & plures alij. Hos nec adire quidem poteris nisi prius in* Epist. 5.

Aristo-

Aristotele te ipsum exercueris, quod & ipsum Ciceronem factitasse facile animaduertas: nam in primo de officijs Panetium redarguit: quòd cum ille de officiis scripserit, prius tamen officij diffinitionem non tradiderit: hoc ex præceptis dialecticis colligitur. Sed nec scribere, nec cum alio disceptare rectè unquam poteris: nisi modum rationemq; scribendi & disceptandi ab Aristotele didiceris. Cæterum hæc fortasse leuia, illud maiori consideratione dignum, quòd solus Aristoteles animorum immortalitatem multis in locis felicissimè demonstrauit: nam Cicero in quæstionibus Tusculanis ad probandum animæ immortalitatem probabiliter, & non demonstratiuè incessit.

Primo de partib. animaliū, ca. 1. 2. de partib. c. 10. 4. de partib. c. 10. 2. de gñatione aīalium, ca. 3. 2. de anima. 21 & 32. 3. d aīa. 5. & 20. 12. Metaphysices 17.

Et ut cœlestis illius uiri, Aristotelem dico, monumenta breuiter percurramus: ipse Dialecticam rudem antea & indigestam pluribus libris est complexus. Iam uero à tribus primis principijs, materia scilicet, forma, & priuatione exorsus, philosophiam uniuersam ita constituit, & ordinauit: ut non naturæ interpres, sed æmulus uideri possit: mox ulterius progressus, quatuor & non plura, nec pauciora dari elementa uniuersum constituentia, ac de eorum simplici motu tertio & quarto Cœli rationabiliter est confessus: hinc ad mineralia conuersus, quicquid terræ latebris delitescit, in apertum, & in lucem retulit. Adhæc, uegetabilia omnia, plantas, frutices, arbores, & quæ zoophita nuncupantur, mediam naturam inter plantas & animalia obtinentia, ut conchilia, ostrea, & testacea omnia, secundo de anima est interpretatus. Sed & animantia ipsa, gressibilia, reptilia, uolatilia, & aquatilia, in libris de animalibus indicauit. Præterea diuinum hoc animal prudentissimum, sagacissimum, erectum, hominem scilicet, horum omnium ueluti contemplatorem & interpretem, tertio de anima, & in libris de partibus animalium explicauit. Quæ uerò in media regione aeris generantur, pluuiæ, niues, grandines, fulmina, fulgura, tonitrua, & quibus mundi cardinibus perflant uenti, in Metheorologicis sufficienter edocuit. Cœlum etiam ipsum æternum, perpetuoque motu perrotari, primis duobus libris de cœlo ostendit. Age uerò & intelligentias ipsas, suos mouere orbes, primam autem, Deum scilicet, formam purissimam, simplicissimam, incorpoream, immotam, tamen mouentem omnia, & cui aliæ intelligentiæ cupiunt assimilari, octauo Physicæ auscultationis, & 12. Metaphysices, plenissime demonstrauit.

Hæc est naturalis & Aristotelicæ philosophiæ breuissima descriptio. Quæ autem in Rhetoricis, & moralibus scripsit: ea nunc recensere, & alienum esset, & molestiam etiam tibi fortasse afferre posset: neque enim hic omnes Aristotelis libros commemorare instituimus: satis est sitientibus fontem demonstrasse.

Peroratio.

Suaserim itaque mi Manuti, ut utrunque authorem, Ciceronem dico, et

Ari-

Aristotelem et perlegas, & euoluas: nã ab altero Latinæ linguæ facilitatẽ, elegantiã, copiam, uocũ proprietateẽ, ab altero naturalium rerum cognitionem, artem, dispositionem, ordinem, demonstrationem consequeris: atque ita ex utroque, illa, quam eloquentiam appellamus, conflabitur: nam eloquentia sine scientia, dicebat Picus, non eloquentia, sed loquentia nuncupatur. Brixię Calendis Februarij 1540.

IO. P. Q. COECILIO CONFORTO Iureconsulto.

GAVDEBAM *alias Cæcili humanissime, quòd tua familiaritate fretus, optimam consuetudinis nostræ institutionem adorti fuimus: cùm scilicet Ciceronis Topicorum libros unà percurrebamus: rem sanè operosam, et non nisi in Aristotele exercitato satis perspectam, nam opus illud crebris diuisionibus, et difinitionibus, et omnibus breuiter præceptis dialecticis est refertum: nimirum à Topicis Aristotelis excerptum, propterea nec adiri ita facile potest, nisi quis prius in facultate dialectica instructus fuerit. Vtinã quod perficiendum susccpimus, absoluissemus: et ad reliquos etiam Ciceronis libros, succisiuis horis, studium nostrum conuertere potuissemus: nam id et mihi iucundissimum et utilissimum fuisset. Cæterum inuida fatorum sors, nos summa necessitudine deuinctos, honestissimis studijs detentos, et disiunxit, et aliò nobis commigrandum iussit: tu itaque Brixiam profectus, paterna uestigia secutus, causis ciuilibus detentus, candidiora studia, suauissimos eloquentiæ fontes à Cicerone manantes, artem denique ipsam ab ipso traditam, et seruatam, et à te summopere optatam, et deserere, et reijcere coactus es.* Epist. 6.

Ego à te destitutus, postea quam studiorum comitem inueni neminem ad urbem et ipse Venetam profectus: ad philosophiam, cui adolescens operam dabam, reuersus sum: ea autem cùm ab ineunte ætate me semper maxime delectauerit: statui in posterum, quicquid, uel legendo, uel scribendo temporis superfuerit, id totum in hanc unam conferre: et theologiæ etiam studijs aliquid impartiri: sic nec me angoribus dabo: et aduersam mihi sæpe fortunam ęquo animo ferendam existimabo. Hoc enim præstat philosophia, ut nec in aduersis fracto animo succumbamus: nec in secundis superbè et insolenter nos geramus. Iam uero præterquam quod rerum naturalium causas, effectus, et operationes ostendat: nulla est etiam alia facultas, quæ nos magis à uoluptatibus et illecebris corporeis et auertat, et dehortetur: hinc temperantes, modesti, et abstinentes euadimus: hinc iusti, prudentes, et consultissimi existimamur: hinc honores, dignitates, et diuitias negligimus, atq; contemnimus: hinc Philosophię laus

ambitio,

ambitio, et auaritia exploditur: liberalitas, et munificentia admittitur: hinc iniuriarum, dolorum, et ærumnarum non recordamur: hinc mortem ipsam, omnium horribilissimam non perhorrescimus: hæc ad cœlum rectissimum iter commonstrat: hæc animæ immortalitatem ualidissimis rationibus concludit: hæc Deum ipsum cœlum, terras, maria, et omnia moderantem demonstrat: et in maiorem eius dilectionem nos erigit et excitat: hæc cælo in terras demissa, iura, leges, mortalibus dedit: hæc ciuitates, hominum cœtus inter se coalescere edocuit: hæc uitæ humanæ moderatrix et magistra: hæc efferatos hominum animos, barbaras et indomitas gentes in mansuetudinem conuertit: hac duce, Atheniensis ille Socrates secum trahere populos et creditus, et celebratus: et quod omnium utilissimum est, et necessarium: hæc ad theologiam et sacras literas aditum et portas patefacit: neque enim quæ de Trinitate, de creatione mundi, de sacramento Eucharistiæ, de resurrectione, et multa alia à Theologis traduntur, intelligerentur: nisi prius dialectica, mox philosophia lumen, lucemque clarissimam præmonstrassent: neque contra, quis perfectus dialecticus, et philosophus habebitur: nisi in theologia à Scholasticis tradita, se ipsum exercuerit. Est enim in scientijs, sicuti in naturalibus, nexus quidam et concentus. nam si una ab altera separetur, statim musica et harmonia destruitur. Hactenus de philosophia.

Scientiæ inuicē colligatæ.

Reliquum est ut te Cæcili humanissime rogem, atque obtester, si fortè iuredicundo sedendum tibi fuerit, iustitiam, et æquitatem seruandam putes: id facillimè fiet, si nec ad dexteram, nec ad sinistram declinaueris. Si munera, amicitias, inimicitias, et lachrymas, integer, et incorruptus contempseris: nam ut summa est in prætore authoritas, ita summa debet esse grauitas, et integritas. Si inter seueritatem et misericordiam medius, et moderatur extiteris. Si cùm ferre sententiam uolueris, diuinum auxilium prius imploraueris. Illud etiam cauendum, ne crebris et importunis causidicorum utrinque perstrepentium, & uociferantium clamoribus in iram prolaberis: uel eorum cauillosis, & monstrosis iuris expositionibus (bonos & doctos semper excipio) ueritatem, iustitiam, & æquitatem non assequaris: nam ipsi plerunque suis præstigijs Iudicum mentes ita inuoluunt, & præstringunt, ita nigrum in candida uertunt, ut quod iustum, quod iniustum, quod æquum, quod iniquum, non dignoscant: his itaque mansuetudine, & eruditione resistendum: atque eorum importunitatem lenitate, & humanitate compescendam: imperitiam uerò, Iuris & æquitatis scientia, detegendam: talem breuiter te præstiteris, qualem satyricus Iuuenalis sic expressit.

Prætoris optimi officium.

Hic est, qui Iuris nodos, & legum enygmata soluit.

Sed & alterna rabularum conuitia, proiectam loquacitatem, uirulentas

utrinque

utrinque & mendaces exclamationes omnino non feras, sed seuero tristique uultu à te procul expellas: ac partes ipsas admoneas, ut sine aliqua animi excandescentia causam suam agant: iracundiam deponant, te libentissimè auscultaturum, & iustitiam præstiturum, ac de te Virgilianum illud iure dici possit;.

„ *Ac ueluti magno in populo cum sæpe coborta est*
„ *Seditio, sæuitque animis ignobile uulgus,*
„ *Iamque faces, & saxa uolant, furor arma ministrat:*
„ *Tum pietate grauem, ac meritis, si fortè uirum quem*
„ *Conspexere, silent, arrectisque auribus astant:*
„ *Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Et quòd de Demosthene Satyricus suprascriptus cecinit, meritò etiam de te uerificetur.

„ *Quem mirabantur Athenæ*
„ *Torrentem, & pleni moderantem frena theatri.*

Illud etiam cauendum, ne quandoque callida, & seuera iuris interpretatione deceptus, in apertã cadas iniuriam, & cùm te ius sequi credas, iniuriam & iniustitiam præstes: unde illud tritum sermone prouerbium: Summum ius, summa iniuria, & summa crux: nam iura, leges, non summum ius, sed æquitatem semper seruandam clamant.

Audis itaque partibus, cognitaque ueritate, matura, rectaque sententia promenda, & promulganda tibi erit.

In puniendis uerò, ac torquendis delinquentibus, iracundiam omnino deponas: & humanitatem potius, quàm impietatem præ te feras: nam si in altero errandum, in misericordia libentius, quàm in crudelitate delinquendum; non negauerim ego, quin sæuius in hunc, in illum mitius sit animaduertendum: pro maiori enim uel minori delinquentis culpa, uarianda est etiam Iudicis castigatio: nam ut quisque improbissimus fuerit deprehensus, ita seuerissimè plectendus, qui uerò leuiter errauerit, leuiter etiam erit puniendus, hoc discriminis si tollas, tollitur etiam æquitas, & iustitia.

Non minori diligentia vitandæ sunt assentationes: qui enim adulatoribus faciles dant aures, in leuitatis suspicionem facilimè delabuntur: debet enim vnusquisque seipsum metiri. Nosce teipsum, inquit Solõ

Siue etiam publicè, siuè priuatim ius dicas, sæueritatem semper comitate coniunctam pre te feras: nam altera, improbitas deterritur: altera, probitas & innocentia custoditur. Iam uerò tàm pauperum, quàm diuitum, tàm ignobilium, quàm nobilium ad te pateat accessus, atque omnes mansuetudine, & humanitate libentissimè ausculles: Quæ omnia si præstiteris, summam laudem, De his omnib. copiosius.

ſno De Prætoris officio, Sabellicus.

dem, & gloriam Prætorij muneris consequeris.

Hæc te admonuisse volui, vt & tu vicissim me sæpe errantem reuocares: rectamque viam mihi aberranti demonstrares: hoc nanque & amicitiæ ius, & mutua societatis humanæ charitas exigit: alternis enim & consilijs, & officijs vita hæc nostra rectè, & honestè transigitur. Ex Aedibus nostris. 1558. Calen. Iunij.

REVERENDO FRATRI VINCENTIO Patiniæ Dominicano, Sacræ Theologiæ Doctori grauissimo. Io. P. Q.

Epist. 7. CVM in philosophiæ, theologiæque studijs principatum facilè obtineas Vincenti eruditißime: optarim, ut quæstiones omnes difficillimas, earundemque solutiones tuas, quas tu fando, disputandove in omnibus Italiæ vrbibus uestris in comitijs publicè sustinuisti, ad me uel manu tua scriptas mitteres, uel quod optabil.us esset, impressoribus cudendas exhiberes: hoc quod ultimum exposcimus, si feceris, & mihi, & omnibus literarum professoribus adeò gratum erit, ut nihil gratius futurum sit. Scio etiam te in omnes Aristotelis libros commentaria scripsisse, nondum tamē edidisse. Caue, obsecro, ne tot peractis, præclarique tui labores perpetuis tenebris damnentur. Vide quantam frugem ex ijs accepimus, qui aliquid in communem usum contulerunt: quique suas uigilias posteritati consecrarunt: nam ut Albertum, & Thomam prætaream, qui infinita diuinaq; uolumina nobis reliquere: postea etiam secuti sunt & alij ferè innumeri, quos si nunc recensere uellem & superuacaneum esset, & in immensum excresceret epistola: nam illi ex annalibus & historijs petendi sunt. Quis enim est qui ignoret Capreolum, Caietanum, Iauellum, & reliquam illam eruditorum hominum manum, quorum alij certatim Aristotelem interpretati sunt: alij in eundem epithomata scripsere: alij in libros quatuor sententiarum commentaria edidere. Hactenus de Dominicanis. Si etiam Franciscanam familiam excutias, non minorem eruditionem inuenies: nam Scotus in quæstionibus diligentißimus & subtilißimus Alexander Alesius: Fraciscus Maronius Scoti interpres, Lechettus Brixianus, & quos nostra uidit ætas, quosque ipse quandoque audiui Patau, Bargem scilicet, & Simonettam. Cæterum Simonetta, præter doctrinam Scoticam, in Auerroe etiā & Aristotele exercitatißimus, quem ego moribundum cùm uidissem, quot lachrymas? quos luctus unà cum astantibus non effudi? deplorabamus omnes & hominem interiturum, & uiri eruditißimi commentaria nondum edita, qui toties in disputantium circulis laudem reportauit: Hos omnes non imitan

dos

dos solum, sed superandos etiam (quos uincere leue est) sibi in animo proponas, hæc uera laus, hæc commendata in uirtute emulatio: nam & ætas adhuc ualida, & ingenij perspicacitas adest: neque enim corporis viribus, sed animo & intellectu certandum. In hac tam præclara palestra certauit omnis antiquitas: Aristoteles cum Platone, Themistius, Auerroes, & Albertus cũ Aristotele, Thomas cum Alberto: Scotus cum Thoma & Henrico. Augustinus cum Hieronymo. Virgilius cum Homero. Ouidius cum Virgilio. Cicero cum Demosthene. Quintilianus cum Cicerone. Salustius cũ Thucidide. T. Liuius cum Polybio & Herodoto. Galenus cum Hippocrate. Auicenna cum Galeno. Et ex recẽtioribus Marsilius Ficinus cum Platone. Ioannes Picus Mirandulanus cum omni antiquitate. Hi sunt quorum nomẽ et fama in posteros demigrauit: quorumque laudem & memoriam nulla vnquam delebit, extinguetque mortalitas: horum uestigia secuta posteritas summis laudibus vita functos prosequetur. Hæc sunt humanissime Vincenti, quæ à te efflagitamus, quæque etiam viuentibus & posteris grata, & vtilia futura sunt.

Superioribus diebus Ioannes Frãciscus Quintianus, & eius frater Cælius, nostri municipes, viri eruditissimi fato defuncti sunt. O mortem dolendam, quæ duo latinæ linguæ lumina momento temporis extinxit. O inanes spes nostras, hi si diutius vixissent, tot volumina à se cõscripta in lucem protulissent: O calamitatem detestandam, quæ tam præclara ingenia, tantam eruditionem nobis ademit: nam vt de Quintiano loquar, inter cætera sui ingenij monumenta, Geographiam ipsam, imperfectam hactenus & obscuram, ita locupletauit, & clariorem reddidit, vt nihil amplius in ea desiderari possit: scripsit & tetrasticha in omnes Cæsares & Pontifices: encomium vrbis Venetiarum, linologiæ libros sex: & alia infinita volumina, partim adhuc in scrinijs clausa, partim à multis furto sublata. Quid verò scripserit Cælius nondum mihi licuit scire: sunt qui dicant ipsum scripsisse artis metricæ seminaria, & plura poemata. Interitus Io. Frãcisci Quintiani, & Cœlij deploratio.

Sed non minus etiam dolendum de duobus alijs fratribus consortis, Aloysio scilicet iurecõsulto clarissimo & frate Stephano Dominicano, sacræ theologiæ Doctore grauissimo, qui nuper & ipsi intra mensem fato extincti sunt. Hæc est hominis calamitas, vt cum ad summum felicitatis gradum fortuna te efferat, mors ipsa statim deijciat: neque vlla vnquam humana fuit felicitas, quam non aliquis fortunæ casus violauerit: alternat enim Deus rerum omnium vices. Cæterum quid minus dolendum quàm mors? cum ipsa ex materie necessitate, et ex continua elementorum alteratione proueniat. Quoniam enim corpus humanum ex principijs corruptibilibus constat: ipsum quoque quandoque corrumpi necesse est. Age verò qui fieri potest, vt æternam illam

beatudinem consequamur, nisi prius corporis vinculis, tetroque hoc mundano carcere soluti simus? non igitur timenda, sed potius optanda nobis mors est, cuius aduentu, ad cœlum, vnde orti sumus, euolamus: quam nec Socrates, nec philosophantium vllus, vnquam extimuit. Sed hæc à Cicerone, & à philosophis diligentissimè sunt pertractata: ad quos mortem reformidantem relegandum existimamus. Idibus Septembris. 1559. Brixiæ.

SERENISSIMO, INVICTISSIMOQVE Bohemię Regi Maximiliano, Ferdinandi Romanorum Regis filio, principi meo clementissimo Io. P. Q.

Epist. 8. CVM hic Viennæ tota hyeme permansissem, neque in Italiam patriam, ob sæuientem ibi pestem, reuerti potuissem: nunc verò cùm pestis ipsa remissa, ac penitus sublata sit: vellem me in Italiã itineri accingere. Quare clementissime Rex oro, atq; obtestor, vt me per tot gentes sermone & morib. dissonas aliquo auxilio adiuues, atq; iter tam arduũ & periculosum facilius & tutius mihi reddas: neque enim aurum & pecunias, sed tutelam vitæ tantum exposcimus: nam ingentes latronum cateruas in itinere viatoribus insidiantes accepimus: tuum itaque erit Rex Serenissime prouinciam totam tuam latrocinijs expurgare: ipsamque tutissimam reddere: id si feceris, & mihi, viatoribusque omnibus rem gratam facies; & seueritati etiam tuæ, & iustitiæ in improbos nonnihil adijcies: ea etiam est apud Italos tui nominis humanitas, & clementia, ea virtutum tuarum fama, vt te vel absentem & venerentur, & suspiciant: Iam verò literati omnes ad te, vt ad parentem confugiunt: non ignari quantum tu & virtuti, et probitati faueas. Perge, obsecro, clementissime Rex literarum studia & fouere, & prouehere: liberales enim omnes artes tuos ad pedes supplices deuolutæ. in situ & squalore hactenus contabescentes, nunc vt reuiuiscant, atque efflorescant, precantur, obtestantur, & orant. Viennæ Austriæ nonis Augusti. 1557.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO Petro Bembo Patricio Veneto, S. R. E. Cardinali doctissimo Io. P. Q.

Epist. 9. CVM multa, ac varia volumina tàm latina, quàm Hetrusca felicissimè à te scripta, & nunc in luce sint edita, Bembe eruditissime: optarim, vt in texenda historia à patria tua tibi demandata, Brixiam etiam patriam meam olim à Gallis captam, & direptam describendam susciperes: fęda enim fuit illa

depo-

depopulatio, de qua historici etiam alij copiosè, certè, & fideliter scripsere: nonnulla tamen necessaria, et adnotatione digna omisere: nam diuorum immortalium tēpla expilata, sacra omnia violata, Vestales virgines abductas, & cōstupratas, silentio praeteriere. Post enim caesum Venetum exercitum, ad delendam reliquam vrbis multitudinem cōuersus hostis, nulli aetati, aut sexui pepercit: à sacris manus sacrilegas non abstinuit: iura omnia diuina, & humana barbara illa & impia prophanauit temeritas: clamores varij, dissoni, & ferales, vagantibus, & vlulantibus per vrbem turmatim hostibus audiebantur: pueruli lactentes à partu adhuc rubentes, quos ego vidi, à crudelissimo milite (horret animus) cōfossi: & in cuspide, & summitate lanceae per vrbem ad foedam, & detestandam ostentationem transfixi deportati: o crudelitatem inauditam: nōnulli etiam tàm pueri, quàm uiri non à Gallis, sed à Iudeis, qui se Gallis commiscuerant, in terram viui adhuc sunt defossi: alij ab eisdem Iudaeis (nec vana loquor) viui excoriati.

Quàm autem timēda, fugienda, & execranda sit Iudaica gens, testis optimus est Iosephus in libro de Bello Iudaico. Et rerū etiam gestarum scriptores constanter affirmant Carolum Caluum Romanorum Imperatorem à Sedechia Medico Iudaeo, veneno dato sublatū fuisse: Et Dion historicus Graecus lib. 37. gentem Iudaicam crudelem appellat. Beatus Simon puer à Iudaeis strangulatus, in vrbe Tridentina hodie visitur: Quid multis moror? Christus ipse seruator noster à perfidis Iudaeis per summam inuidiam cruci fuit affixus: Sed vnde digressi sumus, reuertamur. Digressio.

Vidi igitur ego vilissimi militis vernam, & famulum nudo ense nobilissimum virum, senem inermem crebris ictibus ferientem, ac tandem occidentem. Idem Galli in vestibulo curiae, & in Sacrarū aedium portis stantes loricati strictis ensibus Senatores, Proceres, & imbellem multitudinem portas egredientem trucidant, & obtruncāt: ibi strages miserabilis, & caesorum cumuli. Principes ciuitatis aut varijs cruciatibus affecti, aut confossi, aut captiui manus post terga reuincti, à genu infra & capite nudi, extra vrbem longis, & lutosis itineribus à lixa, & sordido milite gregatim fune collo tracti. Et vt ad vrbis excidium nihil deesset, bibliothecae ipsae flamma absumptae. Sed querelis nunc non est locus: De captiuitate autem vrbis Brixiae nos alibi, in descriptione patriae nostrae diffusius scripsimus: quem locum doctum, & candidum Bembum, vt videat, oramus, & obsecramus: caeterum qui tàm nefanda perpetrarunt facinora, iustas, & meritas dedere poenas: nam post depopulatam vrbem, proximis sequentibus diebus, ad vrbem Rauennam idem Gallorum exercitus praeda onustus, & impeditus ab Hispanis militibus caesus ad vnum omnes caesi sunt. Haec, & multa alia Bembe clarissime Cōtinuatio.

rissime

rissime ab aliis scriptoribus partim prætermissa, partim leniter tacta, tua histo ria fortasse non sunt indigna. Quæ superius scripsimus, quoniam uera sunt, & quæ ipse vidimus, propterea non ægrè ferat, aut indignetur Gallia, belli, & pacis artibus, & studus literarum alioqui gens nobilissima, & illustrissima, quæ tot viros bello strenuissimos, & in re literaria clarissimos procreauit: quorum primus ex veteribus mihi occurrit Carolus ille Gallorum Rex, ob res egregiè ab eo gestas, magnus cognomento dictus: hic à Leone Tertio Pontifice maximo populi etiam Romani fauore, Romanorũ Imperator appellatur: qui statim barbaras gentes Italiæ insultantes, bello vicit: & Longobardos tumul tuantes Pontificiam dignitatem uexantes ex Italia eijcit: Galliã factionibus ardentem extinguit: victis Saracenis Hispaniam vastãtibus, dum in Galliam reuertitur, optimus Imperator incautus in Vasconum insidias incidit: magna exercitus sui parte cæsa: Verum ipse incolumis euasit: Multa in hoc Principe memoratu digna: Christianæ pietatis, & Põtificiæ dignitatis propugnator, & defensor acerrimus; insignis in eo pietas, beneficentia, & humanitas singularis, vitæ sanctitas tanta, vt à multis ad hanc vsque ætatem, vt diuorum vnus veneretur: Imperij felicitas magna, & diuturna: Decessit Aquisgrani. V. Cal Februarij: ætatis anno septuagesimo primo: Regni, & Imperij quadragesimo septimo: hic literatos omnes, & bonarũ artiũ studia liberalissi mè fouit: Parisiẽse Gymnasium, & Papiense, magnis propositis præmijs, doctissimis vndique viris accersitis primus erexit: Italicæ gloriæ & quieti mirum in modum studuit: Florentiam vrbem pulcherrimis ædificijs instaurauit: Huic Pipinus pater fuit, qui primus Christianissimus cognomento dictus, propter præstitam Romano Pontifici aduersus Longobardos egregiam operam.

Carolo successit filius Ludouicus, ob facilitatem, clementiam, & summum Religionis studium; pius & ipse cognomento dictus: hic paternæ virtutis, & laudis æmulus, imperium Romanum felicissimè administrauit: Commendata in hoc Principe vitæ sanctitas, & honestas, mira & huius Principis in literatos homines beneuolentia.

Illud etiam memoriæ proditum est, Gotifredum Gallorum Regem, 1099. ingenti cõflato exercitu, validaque comparata classe in Syriam adnauigasse, Hierosolymamque vrbem Christi olim humani generis Redemptoris alumnam graui obsidione cinxisse, cinctam felicissimè expugnasse, tantusque cruor in templo præcipuè Solomonis effusus est, vt pedalem altitudinem superauerit: Et cum milites Imperatorem suum corona aurea propter victoriam de Iudæis partam, coronare vellent, tum vox illa memorabilis audita: nequaquam inquit Gotifredus hic corona aurea coronabitur: vbi Christus seruator noster corona spinea coronatus fuit: & nũc etiam eius numismata Gotifredũ

corona

corona spinea coronatum præferunt.

In re verò literaria quis non iure admiretur Gulielmum Budæum Parisiensem à secretis Regis primarium nostra ætate vtriusque linguæ peritißimum? qui commentaria linguæ grecæ luculentißima edidit: quantum etiam in iure ciuili vir ille excelluerit, testantur eius in Pandectas doctißimæ adnotationes: Age verò & librum de Asse, & partibus eius edidit: vbi clarißimus ille vir rationem omnem numariam cùm ueterum, tùm recentium, pondera, & mensuras excußit, & diligentißimè nobis explicauit: dignus certè qui inter clasßicos veteres authores connumeretur: circumferuntur etiam eius plurimæ epistolę ad te Bembe, & tuæ vicißim ad eundem scriptę: in quibus præter eruditionem, & elegantiam, mirus præterea animi, & ingenij candor vtriusque, & maximum amicitiæ vinculum inter vtrunque efflorescit: vt Galliam, & Italiam, non duas, sed vnam tantum esse prouinciam Strabo, Mela, & Plinius, si uiuerent, opinarentur. Tu igitur, Bembe clarißime, testis optimus es, quantum vir ille ingenio, & eruditione præstiterit.

Henricus Glareanus Heluetius, Gallię finitimus, silentio non prætereūdus, Cosmographiā suis doctis commentarijs illustrauit: Et in Titum Liuium Chronologiam lucidißimam nobis tradidit: inexhausti laboris opus: quo solo volumine maximam laudem de se apud nos Italos excitauit: & ad posteros immortalitatis nomen, & famam sibi peperit: Viue diu fœlix Glareane de re literaria, & de humana societate optimè merite: precamur tibi omnes, si in terris adhuc agis, longißimam, ac tranquillißimam vitam.

Iacobus Siluius rei medicæ Parrisijs interpres Regius: qui tot commentaria in Hippocratem & Galenum doctißima edidit: Ioānes Fernelius Ambianus, qui vniuersam rem medicam suis cōmētarijs iam editis elagantißimè perstrinxit: Andreas Tiraquellus in Curia Parisiēsi Senator Regius, iureconsultus hodie clarißimus, qui tot varia, & docta volumina in iure ciuili, & de nobilitate edidit: Orōtius Mathematicus, et Geographus nostra ætate peritißimus Petrus Ramus eloquentiæ, & philosophiæ professor Regius Parisijs.

Exciderat mihi Christophorus Longolius, Belga: hic primum post consequutam Bononiæ iuris ciuilis cognitionem, Patauium reuersus, hospes tuus Bembe domesticus factus est: & vt filius charißimus à te dilectus, & complexus: is igitur humanioribus studijs intentus, vni tantum Ciceroni, tuo consilio incubuit: & ita incubuit: vt cum Cicerone commortuus sit: annum agens vigesimum octauum: Patauij in templo Diui Francisci situs est, tuo hoc elogio inscripto.

„ *Te iuuenem rapuere Deæ fatalia nentes*
„ *Stamina, cùm scirent moriturum tempore nullo,*

Longoli,

„ *Longoli, tibi si canos, seniumque dedissent.*

Hic in Cicerone tantum profecit, vt nullus ad hanc vsque ætatem, multorũ iudicio, Ciceronianam phrasim felicius, quàm ipse, expresserit: decessit tuis in vlnis, magno tui, & gymnasij Patauini mœrore: impressæ sunt Basileę eius epistolę, & orationes tres, quas ipse antea Romæ habuit: in quibus nonnulla ad te Bembe, & tua vicissim ad eundem scriptæ: In iisdem eruditio, & mutuę beneuolentiæ vinculum elucescit. Ruellius medicus clarissimus. Hos, & alios felix illa Gallia summa sua cum laude nobis Italis concessit.

Doluere nostras calamitates ipsi Parisienses & Lugdunẽses: Doluit & ipse Ludouicus duodecimus Gallorum Rex Christianissimus, & clemẽtissimus, qui tunc in exercitu non fuerat: Condoluere & doctissimi, & probissimi viri, qui ad nos scripsere solam illam fæcem totius Galliæ cum perditis, & detestandis Iudæis tot cędes, rapinas, sacrilegia, incendia commisisse: Satis illis fuerat exercitum Venetum uicisse: Brixiam Vrbem opulentissimam diripuisse: ab innocentissimis tamen ciuibus, & ab imbelli multitudine manus impias abstinere debuerant.

Fridericus Delphinus, bonus ille senex, domi tuæ alumnus, quem tu Bembe à iuuentute ad senectutem usque, tuis sumptibus (quæ tua est bonitas, & liberalitas) semper fouisti, & aluisti, ex humanis ad superos abijt: vir in mathematicis, & astronomia clarissimus: cui ego alias Patauij publicè profitenti aliquot annos operam dedi: eius morte ita animo consternatus sum, vt à luctu, & mœrore temperare non potuerim: deplorabam ego & hominis sanctissimi interitum, & eius docta scripta nondum edita.

Cæterum satis lachrymarum effudisse nos videbamur, nisi & alterum latinæ linguæ lumen fata inuida nobis abstulissent: Decessit (proh dolor) & Ioannes Baptista Egnatius Venetus, Poeta, & orator clarissimus: qui tot annos literas humaniores Venetijs, summa cum laude, publicè docuit: sub cuius disciplina & nos aliquot annos militauimus: Et qui tres libros Romanorum Principum, & in Suetonium Tranquillum annotationes doctissimas conscripsit: & nunc etiam ante eius interitum exemplorum libros nouem edendos curauit: Supersunt & eius epistolæ, & orationes plurimæ, nondum tamen editæ. Reliquit numerosam bibliothecam, supellectilem ferè regiam, numismata multa aurea, & argentea. Funus in Diuę Marinæ Sacra æde honorificè conditum. Decessit Octogenarius, vir magnus, & memorabilis, quarto nonas Iulij. 1553. De his omnibus te certiorem feci, quòd sciebam inter vtrunq; máximum amicitiæ vinculum intercessisse. Vale Bembe doctissime, & humanissime, gentis Venetæ decus, & Italiæ splendor clarissime. Venetijs nonis Iulij 1553.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO Zachariæ Delphino Patritio Veneto, S. R. E. Cardinali amplissimo Io. P. Q.

Cvm multæ, & variæ sint artes Cardinalis amplissime, quæ hominem ipsum exornant, & perfectum reddunt: illa certè quæ in ueri inuestigatione uersatur, quæque uerum causas inquirit, & explorat, ita illum absolutum efficit: vt non solum cognoscat, & intelligat: Sed etiam dolores, ærumnas, mortem denique ipsam nec timeat, nec sentiat: diuitias verò, honores, dignitates, quàm sperrat, & effugiat, nemo est, qui ueterum monumēta quandoque legerit, qui ignoret: sunt enim hæc caduca hominisque præstantia prorsus indigna. Qui verò rerum causas inuenire conati sunt: tametsi omnes in id plurimum studij contulerint: illi tamen qui Peripatetici nuncupantur: diligentius, & felicius ipsas uenati sunt: Ego Cardinalis humanissime dum per aliquot annos philosophia, ac medicinæ studiis operam nauarem: incidi in quæstionem illam omnium difficilimam, de causis dierum criticorum: quæ nam scilicet causa, cur in morbis, septimus dies, decimusquartus, vigesimus, indicatorij essent? curque in his diebus humani corporis natura noxios humores extra corpus expelleret? Cùm autem & Galeni & multorum scripta euoluissem: nihilque certi ex ijs, aut firmi quicquā elicere potuissem: Astronomorum opinio, quos etiam partim secutus est Galenus & tutior, & probabilior mihi uisa est: propterea eorum etiam decreta clariora, manifestioraque (quantum in me fuit) reddere conatus sum: an autem quod sperabam præstiterim: aliorum erit iudicium. Præterea recentium quorundam opiniones vt suspectas, ni fallor, ac parum firmas, propterea reijciēdas esse indicauimus: qua in re, si quid fortè etiā ipse errauerim: qui hæc mea quandoque legerit commentaria, meminerit me hominem esse, & tam facile quàm alios errare posse: Vtinam me licinæ candidatis vsum aliquem, & vtilitatem afferamus: illud certè elaborauimus: vt tertium Galeni de diebus criticis librum, difficilem hactenus, & obscurum, faciliorem, clarioremque redderemus: vt hac vna in re studiosorum gratiam promereri possimus. Locos etiā quosdam, eo in libro deprauatos pro arbitrio correximus: antiquam semper, nouamque translationem intactam, integramque, vt prius, dereliquimus: vt liberum vnicuique sit, quam maluerit, sequi sententiā. In his omnibus si quid profuimus: soli Deo honor semper sit & gloria. Quoniam autem hæc ex philosophiæ, Astronomiæque fontibus hausta sunt: propterea tibi Cardinalis doctissime dicanda duximus: nam te in ijsdem studijs diu uersatum Patauina Academia testis est. Age verò & hæc de dierum criticorum causis perscrutatio cùm iucunda, tum scitu digna veritatis indagatoribus Epist. 10.

toribus semper extitit: tibi etiam non ingratam fore existimauimus: Illud autem præterire nec debeo, nec possum: quòd me olim Viennæ, dum orator Pontificius apud Cæsarem esses, tuo hospitio summa humanitate suscepisti: mihique in Italiam redeunti viaticum donasti: ob id tibi nunc, & in posterum me debere plurimum fateor. Nunc te obsecrant, obtestanturque bonæ omnes artes, vt sibi, quo cœpisti studio, patrocinari pergas. Venetijs. 1574. mense Iunio, Venetijs.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO Alexandro Farnesio S. R. E. Cardinali amplissimo Io. P. Q.

Epist. 11. *QVI Principibus, Illustribusque viris scripta sua consecrant: nonnulli id agunt, vt eorum nomen, & famam clariorem, & illustriorem reddant: Alij, vt ingenij sui monimenta ipsis ostentent: Ego Cardinalis amplissime diuersam omnino rationem secutus, meas has vigilias tibi potissimum dicandas existimaui: quòd te bonarum artium studio oblectari, & literatis etiam fauere vidi, & vt multos præteream: Paulum certè Magnolum vtriusque linguæ, & philosophiæ peritissimum, mihi amicissimum iam fato functum, tibi olim familiarissimum, & fouisti honorificè, & quòd suas lucubrationes tibi dicauerat, non paruo munere donasti: quem ego tuas laudes, tuam liberalitatem sæpius prædicantem his auribus audiui. Sed quid ago? Cur maiorum tuorum exempla non commemoro? Paulus tertius, auus tuus, Pontifex optimus Maximus Princeps eruditissimus eruditissimos etiam, quos nouerat in vrbe Roma, magnis præmijs donauit, & ad summos honores extulit: nam Iacobum Sadoletum, & Gasparem Contarenum, & Petrum Bembum, virtute, & probitate præditos, ad summam Cardinalatus dignitatem euexit: nimirum igitur, si tu quoque aui tui uestigia secutus, easdem laudes, & virtutes consequi contendis: hæc uera laus, hæc commendata in uirtute, & liberalitate æmulatio. Sub optimo illo Pastore reuirescere, atque efflorescere cœperunt literarum studia, quæ tu quoq; semper fouere, & alere consueuisti. Sed ad meipsum redeo. Cùm primum igitur ad hanc vrbem Venetam appulimus: febres omnes ex Galeno & Auicenna extraximus: easque ipsas, quanta potuimus diligentia, in arbores redegimus: redactas Cardinalis eruditissime ad te mittimus. Quàm gratissimum mihi erit, si præstantissimis illis Romanæ vrbis medicis tabellas has, ac veluti febrium typum demonstraueris. Cæterum ingenui est hominis, fateri per quem didiceris. Ne quem igitur laude propria defraudemus: dum Patauij liberalium artium studio operam nauarem: viri illi eruditissimi ad*

hæc

hac inuestiganda semitas quasdam mihi præmonstrarunt: In febrium itaque diuisione Hieronymum Coradinum secuti sumus: Verum ille vniuersalem tantum febrium diuisionem mihi indicauit: quam postea etiam aliquot in locis deprauatam correximus: Rursus itaque febres omnes simplices in arbores particulares distinximus: & compositas etiam, quod ille non fecit, explicauimus: & commentaria in easdem scripsimus: Quæstionem præterea illam de febre sanguinis vulgatissimam diligentius fortasse, quàm antea, excussimus, & examinauimus: quo in labore si quid medicinæ tyronibus profuimus: Soli Deo laus semper sit, & gloria. Meam autem hanc febrium diuisionem Cardinalis Illustrissime si quando sepositis maioribus, & grauioribus negocijs per ocium diligentius inspexeris: nō paruam fortasse animi voluptatem consequeris: Nam ex hac diuisione varias febres, varias febrium caussas percipies. Ex diuersitate enim humorum peccantium, diuersæ etiam oriuntur febrium species. Hæc tametsi ad medicos duntaxat spectare videntur: nō aliena etiam sunt à præclaris ingenijs, & diuinè philosophantibus, rerum caussas perscrutantibus. Facultas enim hæc medica philosophiæ naturalis uel pars est, uel illi subalternata: quòd eius principia, caussæ, & elementa in philosophia naturali, scientia superiori probentur, & concludantur: quòd enim quatuor sint elementa, accipit medicus à philosopho naturali probata, & stabilita, quòd si illa medicus probauerit: tunc nōn amplius medicus, sed philosophus nuncupabitur. Ex illustri etiam familia Farnesia clarissimi quandoque prodiere philosophi: Hi ex annalibus, & historijs petendi sunt. Precor autem Deum optimum Maximum Cardinalis humanissime, vt tuum hunc amplissimum statum augeat, & te felicissimum & augustissimum reddat. Venetijs. 1574. mense Iunio.

REVERENDISSIMO IVLIO PAVESIO Archiepiscopo Surrentino ad Maximilianum Cæsarem Legato Pontificio. Io. P. Q.

GRATVLOR tibi Iuli præsul doctissime quòd in Pannoniam ad Maximilianum Cæsarem Summus Pontifex oratorem iure optimo te creauerit nouus hic piusque Pastor summè commendandus: quòd ad Christianę reipublicæ gubernacula eos homines constituat, qui eruditione, vsu rerum, innocentia, vitæque integritate excellant: precabimur itaque omnes Deum optimum maximum, vt tua hac in legatione feliciter tibi, atq; ex animi sententia succedant omnia. Illud augurari mihi liceat, profectionem istam tuam ad superiores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gradus viam aditumque tibi p̄ maturam, Epist. 12.

mereтur hoc probitas virtusque excellens tua. Ego, quod ad me attinet, tua vestigia secutus, ad consueta philosophiæ studia animum meum adijciam: tu interim Antistes humanissime tuam valetudinem ita curabis, vt cum ex legatione incolumis in patriam redieris manus pedesque tuos exosculari possim. Brixiæ nonis Aprilis 1566.

Eidem

Epist. 13. *Superioribus diebus Iuli Antistes humanissime literas perbreues ad te scripsimus, quibus tuam ad Cæsarem legationem tibi gratulabamur: longiores dare non potuimus, propter celerem tabellarij discessum: Ego Dijs immortalibus & habeo, & ago gratias, quòd in eadem patria, in qua tu, mihi nasci, & sub eodem præceptore, & eodem tempore institui, & erudiri contigerit. Sed & illud non prætereundum, quòd hominem, non lapidem, non plantam, non leonem, Deus optimus Maximus ad imaginem, suamque similitudinem me creauerit: Quid enim optabilius? Quid melius? Quid diuinius mihi dari potuit? quàm quòd in uita hac mortali, immortalem sūmus ille cæli, & terræ conditor me creauerit? nam animam intellectiuam immortalem esse, nullus nisi plumbeus, & rudis planè philosophus sit negauerit: quod Plato, & Aristotiles millies, affirmauerint. Quare deridendus M. Varro, qui dixit satius fuisse, hominem aut nunquam nasci, aut natum quamocissimè aboleri: Deridēdus & Plinius, qui septimo naturalis historiæ nouercam naturam appellauerit: quòd hominem nudum in nuda humo proiecerit: ad uagitum, & ploratum. Cætera uerò animantia squamis testis, aut crassis, & duris pellibus uelauerit: Perbella mehercle comparatio: ignarus formam humanam nobilissimam esse: formæ nobilissimæ optimam temperiem deberi, quæ ex vltima elementorum mixtione, ac refractione prodit: ad quam sequitur mollicies: temperiem igitur humanam mollem, mollique cute contegendam parens natura rectè fabricauit: maior autem mollicies perfectiorem arguit temperaturam: hinc perfectissimus iudex in homine sensus tactus, ex cognitione distincta differentiarum essentialium, in calido, frigido, humido, et sicco, aspero, & leni, duro, & molli, quæ sunt obiecta sensus tactus. Hæc à philosophis diligentissimè pertractantur. Idibus Aprilis. 1566. Brixiæ.*

REVERENDO D. ANTONIO PIZONIO Io. P. Q.

Epist. 14. *LEGI ac descripsi magno cum labore has M. Antonij Ianuæ philosophi clarissimi lectiones de immortalitate animæ, quas tu mihi olim (tua humanitate) commēdaras: deprauatæ enim multis in locis sunt, ita vt uix sēsum*

assequi

assequi potuerim. Quæstio hęc mortalis an immortalis sit mens humana, cùm ueteres, tum neotericos omnes multum torsit. Doctor iste Auerroem, Theophrastum, Themistium, Simplicium sequutus, post longam aduersus Pomponatium, Thomam, & Scotum, disputationem, tandem concludit, intellectum humanum vnum dumtaxat esse, non multiplicatum, immortalem, & æternum, omnibus hominibus non dantem esse, sed ut nauta naui, tantum aßistentem. Quæ opinio & si illi Peripatetica uideatur, quid tamen senserit Aristoteles difficilè est iudicare. Plato certè, & Platonici omnes oppositum sensere: multiplicatum scilicet intellectum, informantem, dantem esse, non aßistentem, & immortalem. Suffragatur opinioni Platonis vniuersa Scholasticorum familia Cicero quoque in quæstionibus Thusculanis, & clarius in Paradoxis constanter affirmat, perpetuas sedes in cœlo iustis paratas esse, iniustis contrà & improbis æterna supplicia à Dijs immortalibus expectanda. Accedit & Ioannis grammatici philosophi clarißimi authoritas, qui asserit, supra tumulos mortuorum apparere quandoque luminationes, quod est, quia anima impura terrisque infesta ad similia & terrena retrahitur, non quòd anima videatur, sed malus ille animæ affectus facit, vt anima aliquid visibile secũ trahat. Sed quid multis moramur? Cur ethnica testimonia, & exempla in medium afferimus? vna certè tantum est veritas, quam Christus Seruator noster Euangelicis sanctionibus Matthæi 10. his verbis memoriæ prodidit.

In phędro, ĩ phædone, ĩ thimeo, in 6. de rep. in 4. & 12. de legibus.

„ *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non*
„ *possunt: Sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perde-*
„ *re in gehennam.*

Et Lucæ 12.

„ *Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent am*
„ *plius quid faciant &c.*

Age uerò ipse etiam Seruator noster tot ærumnas & labores, mortem denique ipsam passus non esset, si indiuiduorum animæ multiplicatæ non essent, & immortales, quas ipse suo cruore ab inferis uindicauit. Concedit tamen iste Doctor ex consensu humani generis, & legum, & omnium rectè sentientium, Platonis præsertim, animas nostras posse fieri beatas, & Deum ipsum posse intueri, quod certè fieri non posset, nisi animæ ipsę exuant naturam mortalem, & induant naturam immortalem, vt aßimilentur Deo, quod & Paulus ad Corinthios epist. 1. cap. 15. his verbis testatus est.

Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortalem hoc induere immortalitatem.

Quid clarius? Sed hæc philosophis & Theologis consideranda relinquamus. Ego certè cum Platone, cum Sacrosancta Romana Ecclesia & teneo, &

constanter

constanter affirmo, indiuiduorum omnium animas æternas & immortales esse. Quicquid interim Lucretius, poeta alioqui facūdissimus, Alexander Græcus, Aristotelis interpres, Pomponatius neotericus, & qui hos secuti sunt, delirauerint: & oppositum senserint. Vale pater optime. Ex ædibus nostris Calendis Martijs. 1570.

IO. P. Q. CARISSIMO AD CAESAREM Oratori Bernardo Naugerio patricio Veneto.

Epist. 15. *CVM superioribus annis Patauij liberalium artium studio operam nauassem, Bernarde doctissime post mea tandem peracta studia, inuasit me statim mira quædam cupiditas videndi eam Germaniæ vrbem, quæ vltra Tridentum per* 150. *milliaria in Septentrionem porrigitur, ea est Sproch vulgo dicta, ibi Petrus medicus quidam Brixianus, vir & Græcis & Latinis literis eruditus, & summa etiam necessitudine mihi deuinctus, apud Ferdinandi Romanorum Regis filias agit is per literas quandoque me admonuit, orauitque vt quanto citius fieri posset, ad eum accelerarem, atque aduolarem, habere se aiebat Principes, qui me libentissimè in contubernium susciperent, & quibus mea quam gratissima futura esset amicitia, inculcabat præterea prouerbium illud à ueteribus tantopere celebratum, si seruiendum est, Principibus seruiendum. Hæc cùm ita sint, Bernarde clarissime cùmque etiam ob singularem tuam eruditionem, & uitæ tuæ integritatem à Venetis ad Cæsarem omnibus suffragijs Oratorem te creatum esse audiam, & præterea te propediem ad eam, quam dixi vrbem, profecturum sciam, oro atq; obtestor, ut cùm illac iter feceris, Brixiensi illi medico commendatum me reddas. Venetijs.* IIII *idus Septembris.* 1543.

IO. P. Q. CAELIO conterraneo suo.

Epist. 16. *CVM Venetijs essem, fortè fortuna Daniel Barbarus vir & Græcis, & Latinis literis refertissimus, obuiam mihi factus, uis inquit mi Ioannes ut ostendam tibi opusculum, in quo patruus meus Hermolaus uniuersam philosophiam breuissimo admodum compendio contraxit? ego uerò inquam oro, obtestorque, ut id quod polliceris præstes: dedit ille lubens opusculum, quod cùm percurrissem, libuit describere, descriptum tanquam arcanum quoddam literario meo in ærario detinere: sciebam enim Barbarum eum esse, qui præter philosophiæ studia, in Romana etiam lingua barbariem acerrimè profligauit:*

gauit: quique non barbarus, sed candidissimus est habitus: mitto itaque opusculum vt perlegas: perlectũ statim restituas. Vale Patauij idibus Octobris. 1536.

Eidem.

Nescio quo nam meo felici fato euenerit cæli humanissimè, ut post tot meos peractos labores, ex longa (ut aiunt) nauigatione, in portum hunc omnium tutißimum tandem appulerim. Est oppidum natura arteque munitissimum, castrum fidum appellatum, medijs in aquis erectum, in quo præter cæli intemperiem, nihil est quod accusem: caliginosus enim est aer: ob id degentes destillationibus obnoxij: Ex Brixia itaque mẽse Augusto huc profectus, ab oppidanis publico stipendio accersitus: summo cum honore, ac animi, & corporis tranquillitate hic ago: Constantinus quoq; cognomento Ducchus, olim Quintiani præfectus, quique diui Marci effigiem in foro, ac pro portis pingendam curauit: infelix non solum exul, sed quod magis doleas, extorris hic agit. Vale, & fratrem tuum Quintianum, virum omni scientiarum genere candidatum, & quod peculiare illi est, poetarum omnium eminentissimum meis verbis salutato. Ex castro fido idibus Octobris. 1540. Epist. 17.

PAVLVS MANVTIVS
Ioanni P. Q.

ET si nihil facio libentius, quàm cùm ad homines aliqua mihi coniunctos necessitudine scribo, tamen eo sum ingenio vt hoc literarum genere nunquam ferè vtar, nisi cùm aliquid scribendum occurrerit quod amicorum meorum & familiarium interesse existimem. itaque non scripsi ad te superioribus temporibus, non quòd aut amicitiæ nostræ parum memor essem, aut hoc scribendi officium negligerem, sed quòd cùm non esset, quod scriberem, scribere tamen literas inanes & vacuas, imprudentis atque adeo stulti esse hominis existimabam. nunc accipe, quid fuerit causæ. quo meę ad te literę hoc maxime tempore proficiscerentur, puto te mi Ioannes facile meminisse, cùm olim Patauium adipiscendæ philosophię gratia te conferres, exarasse literas pro te commendatitias Egnatium nostrum, eas cùm ille mihi exscribendas dedisset, vt tibi proficiscenti darem, præuertisti ipse tu, quod tibi nõ excidisse reor, antequàm id muneris absoluerem, itaque cùm adesses, voluisti tu quidem earundem literarum exemplar summere, opinor apud te uelut testimonium & pignus tanti viri erga te beneuolentiæ retẽturus, nunc uelim mi Ioannes si quod eius epistolæ exemplar habes, ad me primo quoque tempore perferendum cures, id si feceris, feceris tu quidem & mihi rem uehementer gratam, & ad- Epist. 18.

amorem

amorem in te meum non nihil etiam hoc officio addideris. Vale Venetijs idibus Martij. 1532.

IO. BAPTISTA EGNATIVS Venetus, Nicolao Leonico S.

Epist. 19. *Ioannes Planerius Brixiæ ortus: quam patriam non dubito tibi uel ueterum testimonio, uel recenti hoc seculo commendatam: Patauium petit. idque magis admiratione nominis tui, quàm gymnasij totius celebritate impulsus. is profitenti mihi multos annos operam dedit: ut bonarum artium studio, & egregijs moribus perpaucos habuerim, quos illi præferre habeam. peto abs te maiorem in modum, pro animi tui in optimum quemque propensionem, quibuscunque rebus poteris, illum adiuues: eget non consilij solum tui, sed operis, nec indignus certè est, pro quo aliquantum labores. Ego ad cætera tua erga me merita, summumque amorem, hoc quicquid præstiteris, ita addam, ut putem aliquid ad beneuolentiam erga te meam accessisse. pluribus tecum haud agam, quando spero te vbi iuuenem fueris complexus, plura etiam per te præstiturum, quàm poscere abs te ausim. bene uale, & ualetudinem tuam ita curabis, ut cùm eam per se tueare, aliquid tamen gloriæ, & laudi tuæ tribuas. Venetijs, nonis Decembris 1580.*

IOANNES BAPTISTA PASTORIVS Ioanni P. Q.

Epist. 20. *PAVLI Manutij scripta non ignoras quanti faciam, ea enim cū lego (lego autem ferè quotidie) Ciceronis mihi uideor scripta legere, itaque de eo, & si multa coram tecum egi, te tamen etiam per literas rogandum putaui, vt ad me aliquid eius uiri ingenio & industria elaboratum, perferendum cures: familiaritatem tibi cum eo tantam puto, quantam cum nullo alio intercedere, aliquid ab eo te impetraturum confido. Non enim uereor quin tu mea causa, ille tua, uelit omnia. alterum iam probè expertus sum, de altero ut non dubitem, facit hominis fama. Virum enim facillimum, atque humanissimum audio esse Manutium, scriptorem luculentum esse scio, nam qui in eo genere laudandi sint, multi nostra atque adeo patrum ætate floruerunt, sed omnes doctrina dicendi, atque elegantia Manutius superat, neque est ex literatis (opinor) quisquam, qui non idem etiam dicat, & sentiat, aures quidem meas vnus implet Manutius, ex recentioribus præterea nemo, aut perquam pauci, quod quoniam mihi cum doctissimis viris commune est, non illud tamen mihi*

arrogo,

arrogo, vt quemadmodum beneuolẽtia in eum, ita iudicio me æque putẽ proximè ad illos accedere. At verò, quantum ei omnes eruditi viri tribuunt, quominus tantundem ego vnus, siue iudicio, siue amoris abundantia, siue vtraq; re permotus tribuam non recuso, omninò eiusmodi est eloquentissimorum hominum oratio, vt eam legentes etiam imperiti, possint de ingenio illorum existimare, ea enim lectione se plurimum iuuari sentiunt, quo in genere ille iam tantum potest, vt parem habeat neminem, non pauca multis uerbis, sed multa paucis, & uno aut altero versiculo omnia complectitur, otiosi nihil est, sententiæ totidem prope, quod verba, & in iis sapientia non minus, quàm eloquentia elucet, ita grauissimo indicio, atque arte quadam se exercuit in attico, hoc est in verissimo genere dicendi, totus enim atticus est Manutius. Sed amore & studio prouehor, qui præsertim ad te Manutium laudem, cui & virtus illius, & hæc ipsa facultas, magis quàm mihi nota est. Quamobrem te rogo, atque oro, vt si prece ipse aliquid ab eo non poteris, aliorum auferas gratia, quanquam non dubito, quin abs te ille se exorari facilè patiatur, de me verò si quid ei pollliceri voles, te vadem constituas licebit, nihil dependes, præstabo omnia, colendo, atque obseruando hominem, quæ tu ei de me confirmaueris, non minus certè quam tibi, ei me debere existimabo, si tu (quod spero fore) de ipsius scriptis aliquid ad me miseris, atque ideo plus ei debebo, quod & tu sic (opinor) voles, & ita ipsius, cum summa humanitate coniuncta liberalitas postulabit. Si verò nihil miseris (non enim impudens in rogando videri volo) vtrique ignoscam, & illum non potuisse, te molestum esse tali viro noluisse arbitrabor. Vale. Ex Regentina ueteri Academia idibus Augusti. 1548.

IOANNI BAPTISTAE PASTORIO.
Ioanni P. Q.

CVM Pannoniam vtranque peragrassem: subijt statim Italiæ, & patriæ meæ recordatio: in qua & cœli temperies, & soli feracitas. Hic crebri, pestilentesq; venti: niues præaltæ: horrida frigora: ibi aer quietissimus: niues non multæ: frigora mitiora: & vt breuibus agam: quantum Germania frigore riget: tantum Italia lenitate præstat: quod & Plinius, Mela, Strabo, & certatim omnes Geographi testantur. In hac tamen cœli inclementia, mira certè est gentis huius humanitas, liberalitas, hospitalitas, nam & te vel inuitum hospitio, lautissimisque conuiuijs excipiunt: & pecunias egentibus plerunq; erogant: Hic non furta, non latrocinia, omnia nuda, tuta, & aperta. Ego certè omnibus Viennensibus ob multa in me collata beneficia, plurimum me debere fateor: sed de his, cùm in Italiam rediero, coram tecũ copiosius, & familiarius. Epist. 21. Viennensiũ laus.

E Illud

Illud Pastori rogatum te velim, vt opusculum tuũ de numeris à te mihi olim & ostensum & perlectum, tandem absoluas; absolutum in lucem proferas: opinor enim te non virtutes numerorum, quæ nullæ sunt: sed numerosam orationem, de qua oratores, ac numerum oratorium tuis in scriptis considerasse: de quibus omnibus latius Ionitam etiam rapitium libro suo iam edito disputasse vidimus. Viennæ Austriæ. 1556. pridie nonas Augusti.

MARIO NIZOLIO.

Ioanni P. Q.

Epist. 22. *LEGI summa cum voluptate tres illos Laurentij Vallensis in Dialecticen libros: ex quibus facilè perspexi, quantum grauißimus ille vir ingenio, & eruditione excelluerit: fateor me plura ex hoc vno, quàm à multis alijs, tàm veteribus, quàm recentibus didicisse: ita vt non possim adhuc non ipsum codicem exosculari: authorem admirari: bone Deus: quid est quod ille non viderit? intellexerit? nec audiendi sunt illi, qui asseuerant, non posse quenquam & rectè loqui, & rectè philosophari: atque ita bonos omnes authores contemnunt, ac floccifaciunt: Quæstio hæc superiori ætate inter Picum & Hermolaum magnis vtrinque eloquentiæ viribus est disputata: vt appareat, non posse illos, qui se lingua fatentur barbaros, sine illa, cui semper fuere infestissimi, eloquentia defendi: Sed quis doctius, expressius, & elegantius, quàm Plinius historia naturali sensiles res, earum etiam causas particulares pertractauit? Quis dilucidius, ac candidius quàm Themistius naturales res & earum causas tàm particulares, quàm vniuersales explicauit? vt non possis non summopere pressum illud, ac floridum dicendi genus in vtroque suspicere, & admirari: quem candorem, & elegantiam in Themistio vni Hermolao Barbaro interpreti acceptam referre debemus; Quis felicius, & elegantius quàm Boetius Dialecticã, Musicam, Arithmeticam, Geometriam enarrauit? Periere (proh dolor) & eius in Platonem, & Aristotelem elegantissimæ commentationes: libellus eius de philosophica consolatione, & in Ciceronis Topica, doctissima commentaria arguunt quantum vir ille eruditione, & elegantia præstiterit. Age verò quis facilius, & commodius de quacunque re proposita disseruerit? uter ille, qui linguæ peritia destitutus sit, an magis ille, qui verborum, & sententiarum copia, & elegantia, vt supellectile sibi parata, instructus, in arenam disputandi interpretandique descenderit? Hæc attigisse volui, vt ostenderem quosdam toto, quod aiunt, errasse cælo, qui mera barbarie imbuti, affirmant linguarum peritiam, & elegantiam in philosophia necessariam non esse. Sed hæc alids.*

Habeo

Habeo itaque tibi gratias quòd videndi Vallensem mihi copiam feceris. Vale, & Vincentium Metellum meo nomine salutato. 6. idus Aprilis. 1540. Ex ædibus nostris.

MARIVS NIZOLIVS
Ioanni P. Q. suo.

TANTVM acceperam literas tuas vnà cum Dialectica Laurentij Vallensis, quam tibi commodaram, cùm mihi Brixiam eundum fuit: vbi mensem & eo amplius mansi, implicatus multis, & varijs negocijs: postea cũ huc reuersus fui, statim Nicolaus Gambara discipulus meus in grauissimam febrẽ incidit: ex qua duodecimo post die quàm ægrotare cæperat, mortuus est: nosq; omnes reliquit luctu, & mærore confectos: quibus de causis factum est, vt tibi respondere usque in hunc diem distulerim: nunc igitur demum breuiter accipe: Ad quod mihi scribebas, quod mihi significas opusculum illud Laurentianum tibi tantopere probari: non miror eum scriptorem tibi placere, qui nemini non placet, nisi planè imperito, & veritatis inimico: Et gaudeo in ea opinione te esse, vt pro veritate aduersus quosdam pronuntiare non veritus fueris: nam & si ex eo sermone quem inter nos hic habuimus, animaduertisse mihi videbar persubtili ingenio, & rara quadam doctrina te esse: tamen vt tibi verum dicam, nonnihil verebar, nec propensior esses in sectam addictitiorum philosophorum, qui eum, cui se semel addixerunt, velint, nolint, quo iure, quaque iniuria defendere coguntur: nunc literæ tuæ prorsus ea suspicione me liberarũt: ex eis enim cognoui te, ut verum philosophum decet, pro veritatis defensione, & pro omnibus, & contra omnes dicere paratum esse: quo nomine ualde tibi gratulor: teq; etiam atque etiam hortor, vt quemadmodum cæpisti, liberè philosophari pergas: nec quenquam tanti facias, vt non eum refutare audeas: si tibi falsum aliquid, aut inutile dicere videbitur. Vale, & Cælium nostrum à me plurimum saluta, qui tibi, qua est prudentia, atque doctrina, nisi fallor, magna ex parte author fuit, vt in hanc liberam, & veram philosophandi uiam ingredereris: nam ego illum hic ex paucis eius uerbis, tanquam ex vnguibus Leonem estimaui: iterum vale. Ex Virola Algisia, ad 4. idus Iunij. 1540. Epist. 23.

VINCENTIO STELLAE IVREC. CLARISS.
Hieronymus filius obseruantissimus.

FACILE patior nactum me esse tempus, pater optime, in quo singularem erga me beneuolentiam, & amorem experirer tuum. Pastorium, præse- Epist. 24.

ptorem meum quanti faciam, ipse optime scio: quanti autem facere debeam, et tu, et omnes existimare possunt. Is igitur cùm te sui studiosissimum, meiq; amantissimum esse cognosceret, cùmque sibi ita persuasisset, meam de doctissimi viri Ioannis Planerij Quintiani amici sui causa accuratè scriptam epistolam maximum apud te humanissimum & liberalissimum virum, pondus habituram: illud à te mihi per literas contendendum iudicaui, vt (quod te facturum esse certò scio) totam huius viri causam susciperes, quam ille ex ipsius integritate vitæ iustissimam arbitratur. Itaque ipsum tibi ita commendo, vt quanquam ipsius causa confido te facturum esse omnia, tamen hoc abs te, quantum honor tuus, quantum æquitas ipsa patitur, petam, vt quicquid est in te amoris, & beneuolentiæ erga me, id omne in illius negotio ostendas. Est bonus vir, & ijs animi bonis ornatus, vt eum Paulus Manutius amicitia sua dignum iudicarit; honestus præterea, gratus, plenus officij, & humanitatis, & præceptoris mei amantissimus, cui cùm propter multa in me, fratresque meos collata beneficia debeam, non iniuria etiam huic intimo necessario suo obstrictus sim, necesse est, πάντα γὰρ φιλῶν κοινά. Quapropter te etiam, atque etiam pro eo, quantum ipse tibi charus sum, quantum debeo præceptori meo maiorem in modum oro, atque rogo, vt hunc hominem, quam liberalissimè complectare, operamque des, vt per te quam commodissimè negotium ipsius administretur, quamprimumque conficiatur. Hoc si à te impetraro, summo me beneficio tuo affectum arbitrabor, cuius beneficij gratum me ex ea parte, qua tu maxime uis, esse cognosces, & amicum ipsum, & præceptorem meum simul tibi perpetuò deuinxèris. Vale. Ex Regeatina veteri Academia. V. nonas Aprilis. 1563.

IOSEPHVS IARDINVS
Ioanni Pla. Q.

25 *QVOD iandiu in cubiculo abditus fueris, aduersæ valetudinis gratia, & tua, & mea causa grauiter equidem doleo: sentio enim quantum iacturæ quotidie faciam: quòd iucundissima illa tua consuetudine careo, neque enim apud te, vt vehementer cupio, commorari diutius possum, cùm scholasticarum, tum rerum domesticarum occupationibus impeditus. Præterea & id quod datur ocij, ob tuendam ualetudinem, potius aliqua corporis exercitatione ac deambulatione consummere cogor, vt fatigationem sedentariam incessus vegetatione discutiam, quàm diuturno ocio confici. tu quoque (pace tua dixerim) sanitati prudentius consules, si quando, cùm confirmatus fueris, te foras ad spatiandum recipias, an tu ignoras, quàm aeris salubritas bonæ valetudini conferat?*

conferat? ac quotidiana inambulatio prosit? Ego prorsus memini, dum eram Patauij, medicos & omnium celeberrimos, & natu maximè grandes, ægrotos omni tempore & vbicunque essent, quotidie vel equis vel pedibus inuisere: nam remissiones, sicut in omnibus rebus, cùm necessariæ, tùm plus virium afferunt ad studia, & acriorem animum præstant. Sed quid ago? Sus Mineruam, quod aiunt, plura tibi domi nascuntur: si me diligis, quod certè facis, valetudinem tuam cura. Quintiani Calendis Martij. 1570.

IO. P. Q. IOSEPHO IARDINO.

QVAM gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ Iosephe humanissime, tuumque consilium sequi uolebam, ni destillatione, quæ me iam multos dies infestat, laborarem: defluit continuè à capite ad pectus catarrhus, anhelitus difficultatem, & febrem non leuem mihi inducit: Sed & cœli intemperies, & crebri ab aquilone perflantes venti sunt in causa, vt in publicum prodire non possim: Si multaque serena illuxerit dies, domum egrediar, amicos omnes inuisam, angores animi hilaritate cum amicis discutiam: mox sacros doctores præcipuos, Augustinum, Hieronymum, Chrisostomum, Paulum, Testamētum vtrunque euoluam, nam in his rationem rectè viuendi, & moriendi inueniam. Sed & ex Ethnicis scriptoribus quidam admirandi, Hi principes sunt, Plato, & Aristoteles in Platone copiam dicendi, iucunditatem, elegantiam, sanctitatem, in Aristotele eruditionem, artem, ordinem, naturalium rerum cognitionem consequemur: Ab his duobus, tanquam à quodam fonte, quicquid rectè docta scripsit posteritas, id omne & haustum & acceptum est. Sed quonam silentio te Marce Tuli inuoluam? te enim appello, & ab inferis si possum excito, tua illa aurea volumina, de officijs, de senectute, de amicitia, te non Ethnicum hominem, sed Christianum planè, & absolutum Theologum fuisse testantur. In his scriptoribus Iosephe charissime tuos etiam discipulos erudiendos censeo, nam apud hos nihil non honestum, pulcherrimum, sanctum, & memorabile inuenient. Quicquid verò obscœnitatis, & uanitatis fabulosa tradidit antiquitas, id omne penitus reijciendum. Hi sunt, Ouidius, Tibullus, Catullus, Propertius, Martialis, nam hi in recessu, sub melle, plus ueneni, quàm utilitatis & eruditionis relinquūt, impudicitijs, & vanitatibus iuuenum animos inficiunt: tenella certè illa ætas tetrica seueritate, & honestate instituenda, disciplinis, moribusque sanctissimis imbuenda. Qualem à teneris sortitus fueris educationem, talem etiam in reliqua tota vita tibi retinendam sperandum: propterea tyrocinium illud, lubricumque ætatis sanctissimè instituendum. Ego certè Dijs immortalibus & habeo, & ago gratias, quòd sub optimo

Qui legendi.

Qui pueris non legendi.

praeceptore mihi nasci contigerit, fuit is Ioannes Gandiniensis, vir & doctrina, & vitae sanctitate memorabilis, cuius filij non mirum si ad summum eruditionis, & eloquentiae culmen ascenderint, qualis pater, tales fuere filij, bona arbor bonos fructus facit, mala malos, dixit Seruator noster. Ex aedibus nostris nonis Martij. 1570.

IO. P. Q. BARTHOLOMAEO Theanio amicissimo.

27 SVPERIORE *anno, cùm Viennae Austriae metropolis essem, atque in aulis principũ agerem, nonnulli ex ijs qui liberales artes publicè profitebantur, ad me accedentes, rogabant, quid nam de Viennensi gymnasio sentirem? ego eorum doctrinam laudare, optimamque in authoribus interpretandis institutionem approbare, sincerum enim authorum contextum interpretantes, à quaestionibus, & prodigiosis expositionibus, & sophismatibus abstinebant, nam ea gens nec legendo chimaeris inuolui, nec disputando rixari didicit, quod vitium in Italia valde percrebuit, nam & qui interpretantur, & qui auscultant, vanis subtilitatibus vniuersam fermè aetatem conterunt, atque in nugis, & inutilibus altercationibus consenescunt. Qui enim in gymnasijs Italicis philosophantur, plerique Aristotelem vix à limine salutantes alij in vnum Thomam, alij in Scotum, alij in Burleum, alij in Paulum Venetum, & in eius farinae scriptores incumbunt, reliquos omnes interpretes, & ipsum etiam Aristotelem penitus deserentes, atque à germana illa & principe philosophia abhorrentes, in meram barbariem, in obscuritates, & inextricabiles labyrinthos diuertunt. Quare in tot sectas distracta, & dilacerata, in deteriorem etiã statum, quàm vnquam delapsa est philosophia. Rectius itaque fortaßè sibi consuluissent, si in Aristotele, Alexandro Themistio, Simplicio, Ioanne Grammatico, & Auerroe se exercuissent. Caeterum nec viam Scholasticam penitus damnandam censemus: nam Thomas & Scotus rectè quandoque Aristotelem interpretantur, Thomas praesertim, & ipse ferè omnia Aristotelis volumina, Scotus ferè nulla interpretatur. Et Albertus nonnunquam rectius, quàm Graeci philosophatur. Iam verò & Ioãnes Gandauensis quaestiones suas felicius quam Graeci contexuit, & digressionibus vniuersam philosophiam clarissimam reddidit. Praeterea in libris quatuor sententiarum & philosophia, & dialectica a Thoma & Scoto diligentissime & excussa est, & explicata. Sed & exercitationes illae in disputantium circulis, modo non sint sophisticae, & ambitiosae, valde à me probantur. Rectius itaque mea sententia Auerroistae, nam ipsi non ita Auerroi sunt addicti, vt aliorum expositiones quando-*

Laudare, pro laudabam, Latina locutio frequẽtissima.

Qui legendi.

que

que non admittant, & Auerroim deserant. Non igitur in solis Græcis expositoribus, sed & in Latinis & Arabibus insudandum: nam à Græcis sinceritatem, & veritatem, à Latinis subtilitatem, ac interpretandi & disputandi facilitatem consequimur. Qui enim solis Græcis contenti fuere, nec in scholis interpretari, nec disputando in publicum prodire ausi sunt, nosti Gotardum nostrum, virum alioqui eruditissimum, & in solis Græcis exercitatissimum ipse in comitijs dominicanis vbi aderant tot viri præstantissimi non solum non disputauit, sed nec hiscere quidem vnquam ausus fuit, augebant virum illum præclara illa disputantium certamina. nosti & Paulum Magnolum, qui tot annos Patauij philosophiæ & medicinæ studiis operam dedit, quique Hippocratis aphorismos, & multa Galeni fragmenta, nondum visa latinitate donauit, ipse in solis Græcis versatus, cùm doctorali corona ornandus fuisset, iussus, vt vnum ex Hippocratis aphorismis, quos ille Latinos fecerat, interpretaret, vix exorsus, obmutuit, tum doctores omnes qui aderant, rati id ex animi timiditate euenisse, hominem hortabantur, obsecrabãt, animos addebant, tum ille, ego verò inquit, nec legere, nec disputare scio, afferatis ad me dixit materiam scribendi, & Græca in Latinũ vertendi, videbitis quid ipse præstare possim, tum omnes in risum conuersi, ab vniuerso doctorum cœtu, vt imperitus fuit reiectus, miser ille pudore, Patauio statim recessit quem ego postea Venetijs lachrymantem cùm vidissem, consolabar hominem, & vtranque fortunam homini timido, alioqui docto, æquo animo ferendam esse inculcabam, adijciebam præterea & illud a Lazaro Bassiano nostro sæpe repetitum, timiditatem causam esse omnium malorum, & ab homine timido mala omnia esse expectanda, & non omnia deos vni dedisse, vt inquit Maharbal Annibali, apud Liuium, cognoueram enim antea virum peritissimum, sed non exercitatum, quem postea tabe, pudore illo, doloreque & studijs contracta, infra annum, Ferrariæ consumptum & extinctum accepimus. Vir certè ob probitatem & doctrinam longiore vita dignus. Hactenus de Græcis, Latinis, & Arabibus Aristotelis expositoribus.

Efflagitabant præterea humanissimi Doctores illi Viennenses, vt quamprimum in Italiam venissem, libellum meum dubitationum, quem in tertium Galeni de diebus criticis, iam antea conscripseram, atque illis ostenderam, in lucem tandem ederem, editum ad se transmitterem, Suaserat & Matthæolus de Dioscoride optime meritus, quem nunc in lucem edo.

Aderant & qui humaniores profitebantur literas, orantes & ipsi, vt suo nomine te salutarẽ, & quæ de Rhetorica ad Herennium scripsisti, ad edendum excitarem, nam de illa tam apud veteres, quàm neotericos, magna est controuersia, Ciceronis ne sit, vel Cornificij, an alterius. Scio enim te multis rationibus

bus

bus probasse, Ciceronem illam scripsisse, cuius opinionis fuit & diuus Hieronymus, fuit & Becichimus neotericus, quamuis Cælius noster, & Sabellicus suis in epistolis aliter senserint. Perge itaque mi Therai, & quæ Viennensium est de te expectatio, fac precor non frustretur. E ædibus nostris. 1558. Idibus Augusti.

BARTHOLOMAEVS THEANIVS
Ioanni P. Q.

28 *LEGI tuas literas libenter amantissime Ioannes, quas nudius tertius à te accepi, Verum cur dico legi? immo perlegi, atque perlectitaui: Candor enim in ijs, qui tum ex singulis verbis elucescit: tum lepos, ac dicendi suauitas, quæ ex varia clausularum, membrorumque coagmentatione passim legentium oculis oboriri videntur, ita me suis illecebris, sua quoque in legendo, quæ sentitur, voluptate allexerunt, cumprimum eas percurri: vt sæpe à calce ad caput reuocarint. Sed cùm mihi plenè satisfacere non possem (aderat enim tum vnam mecum Ioannes Baptista Burgensis nobis aliàs discipulus, quem nosti, si memoria tenes, qui apud nos perquàm familiariter vnà cum vxore, & familia pridie diuerterat) postridie illius diei, cùm Cremam custoditum discessisset: tuis adhuc inhians scriptis, nactus commodiorem opportunitatem, easdem propensius denuò perspexi, in quibus, vt breuiter te expediam, animaduerti tuam illam de ijs, qui omisso Aristotele, alijs deterioribus se dediderunt, non leuem censuram: quæ me maxime delectauit. Nam cum in ea parte quid sentires, patefeceris, tum eos, qui se solum literis Græcis addixere, quodam modo ac perbellè admonuisti, & iure (mea quidem sententia) hac enim labe adhuc non pauci nostrates aspersi sunt, qui cùm se magnos Græcarum literarum professores faciant, Latinè tamen scribere nesciunt, consortiaque eruditarum, si qui sunt, qui pauci admodum sunt, fugitant, & si fortè conueniant, hiscere non audent, quæ hominum infelicitas quanta sit, iam indicasti. hæc pauca tumultuariè (scis nanque occupationes nostras) scripsisse volui, vt & quanti te, tuumque scribendi genus lepidum ac perfacile, & quantum in amore tibi respondeam, cognosceres. Vale, & mutuò nos ama. 12. Cal. Septembris. 1558. Brixiæ.*


IO. P. Q. BARTHOLOMAEO THEANIO.

29 FABRITIVS *Cælij filius suauissimas commendationes tuas mihi dedit. easdem vt ad te deferret, rogauimus. Quintiani etiam nostri libros aliquot*

quot tineis corrosos per eundem ad te misimus. pergratum mihi esset, si Brixiæ, tua diligentia imprimerentur, quod ut facias, etiam atque etiam rogamus. Excussimus scrinium illud in quo continebantur, atque ibi Cæl.j etiam fratris fragmenta multa, nihil tamen eius uiri perfectum & absolutum inuenimus. Sunt eo in scrinio uolumina etiam alia nondum edita, tineis & ipsa corrosa: Mirandorũ uidelicet uolumen maximum opus uarium & eruditum. Panegyricus in laudem Francisci Gallirum Regis, heroicis carminibus conscriptus. Quintus Curtius, imperfectus antea, nunc per Quintianum restitutus, & absolutus. Solinus, olim liber paruus, nunc per eundem magnus, longisque commentarijs ab ipso interpretatus. Linologiæ liber unus, in libros sex distinctus. Legi etiam ipse libros eius alios, quos ad te misi, in quibus & hominis ingenium, & eruditionem miram cognoui. nam in Monosyllabis Ausonium superauit. in Aepographijs uero, grammaticos omnes longo interuallo post se reliquit. in Entomio urbis Venetiarum, tam poeticè & luculenter enagatur, tam graphicè eius urbis situm describit, ut nihil amplius eo in libro desiderari possit. uelles tamen solutæ orationi plus studij adhibuisset: nam in alijs eius libris, quos ipse pedestri oratione scripsit, parum Romanè locutum esse facilè deprehendas, & quod docti in eo accusant, durum, asperum, & obscurum se præstitit: antiquitatem potius, quam uenustatem & elegantiam sequi noluit. Vir alioqui summè commendandus. Multum illi nominis & gloriæ attulit Ticinensis gymnasii interpretãdi munus, in quo aliquot annos iuuenis admodum litteras humaniores publicè professus est. Sed & quæ hactenus edidit, magno applausu excipi uideo: Optarim, ut sua scripta, quæ nondum edita sunt, uel ipse examinasset, uel alijs examinanda tradidisset. Quoniam uerò morte præuentus, id præstare non potuit, tu qui & eius phrasim, & dicendi scribendique artem calles, minimo negotio, si paululum adniti uelis, id muneris conficies & absolues. Suscipe itaque mi Theani has Quintiani nostri uigilias, & labores, & si quid corrigendum erit, tuo arbitratu corrige, emenda: nam hoc officij, & laboris, & Quintiani manes, & municipes omnes tui à te exposcunt & efflagitant. Ego, quod ad me attinet, dabo operam, ut omnia eius uolumina uel Brixiæ tuo fauore, & auxilio, uel Venetijs fratris mei, & amicorum suffragijs imprimantur, & edantur. Vale amicorum amicissime. Ex ædibus nostris. 1569. Calendis Martij.

BARTHOLOMAEVS THEANIVS
Ioanni Planerio Quintiano suo.

EXIMIA *suauitas, quæ tibi propria ferè est: tuaque iucundissima consuetu* 30



do, quæ à pueris inter nos hactenus constitit; facit ut de te mecum sæpe cogitem: atque ut assidue tui non immemor sim: Dÿ boni quid optatius homini literato, ac studioso contingere potest, quàm habere, cum quo nonnunquam iocceris? cuiusque dicendi lepore, ac facetis uerbis, animi tui molestias, quibus interdum affligeris, mœroresque graues, qui nos sæpe adoriuntur, ab animo auferas tuo: quod utique diuinitus mihi semper euenire existimo: quotiescunque te mihi præsentem audire contigit. Sed uide quæso quo te paulatim surripere coner: Volutabam his diebus Nizolii tui laboriosas illas in Ciceronem obseruationes: & cùm in ipsius epistolam incidissem, qua suum ad Mæcenatem Franciscum Gambaram præfatus est: quædam inter legendum in eadem obseruaui loca, quæ mihi cùm minimè arriderent, immo animum meũ offendere uiderentur, nactus ocasionem ad te scribendi non ineptam, statui quamprimum tempus daretur, ab alÿs illa decerpere, & tibi nota facere: ut tu quoque hæsitationis meæ, ne dicam admirationis, fieres particeps: assessorque alter mecum iudicares, an ille tantus uir, tantusque bonarum litterarum professor satis rectè, ac planè illis in locis scripserit: nec ne. Attende igitur, nunc ad locâ uenio: Linea tertia ab exordio sic legitur:

„ *Primum ut ei largiamur, cui plurimam gratiam debeamus.*

Non debeamus (ut opinor) sed debemus, dicere debuit; ut & modi distinguerentur, & sensus magis conueniret: deinde paulo post, sic inquit;

„ *Cùm in editionem huius operis omnem pecuniam mihi liberalissimè sup-*
„ *peditarunt.*

Vbi manifestè apparet, non suppeditarunt, sed suppeditarint, dicendum fuisse, cùm præsertim rationem suæ dedicationis approbare uelit: præposita illa particula, cùm, quæ subiunctiuis adhibetur: quando causam significat. Verum hæc tanquam leuia dimittamus: & ad tertium accedamus locum, qui talis est:

„ *Neque uerò cùm me tibi tam deuinctum esse intelligam, tu non hoc mune-*
Locus cõfusus. *re quam dignissimus mihi uideris.*

Quibus uerbis sibi refragari deprehenditur, nisi aliquid addatur, & locus ille adiuuetur: hoc modo: tu non solum hoc munere quam dignissimus mihi uideris, uerum etiam maiore, scilicet dignissimus; aliter nec sensus, nec uerborum compositio stat: post quod aptè reliqua subsequuntur uerba.

Hæc itaque habui quæ ad te libentissimè scriberem, & si obiter, ne semper apud te perinde ac rana Seriphia credar: Quare si cognouero te in sententiam meam uenisse, posthac si quid aliud noui succurrerit, à munere nostro non te excludam. Vale Latinitatis alumne optime. Brixiæ. 13. Cal. Iunÿ. 1569.

Io. P. Q.

IO. P. Q. BARTHOLOMAEO THEANIO.

NIHIL *optatius, aut charius litteris tuis mihi unquam contigit, Theani humanissime: nam ex ijs te & ualere, & mei sæpe meminisse facile perspexi, sed & Nizolij nostri loca quædam in eius scriptis minus rectè & latinè ab ipso prolata, & à te optime deprehensa, cognoui. Fuit uir ille quidem multæ ac uariæ lectionis: arguit hoc magnum illud in Ciceronem obseruationum opus. Si tamen familiares epistolas, reliquaque eius scripta perpendas: defuit certè illi candor & elegantia, fluxus orationis non continuus, plerunque interruptus, atque nonnulla eius scripta præcipitata magis, quàm edita uidentur.* 31

Multum tamen Nizolio debet omnis posteritas, quòd nulla sit in Cicerone dictio, nulla dicendi forma, quam ipse in suas obseruationes non redegerit: magnus certè labor, & qui Ciceronianis multum profuit: propterea & nos hominem, mihi amicissimum, iam fato functum, de re literaria non malè meritum, pia memoria prosequamur: tametsi quod ipse uoluit assecutus non sit, in magnis tamen & uoluisse sat est, non omnibus datum est adire Corinthum: Pauci quos æquus amauit Iuppiter. Aulicæ consuetudines, continuæque inter ipsum, & Maioragium insubrem rixæ, & altercationes, distraxere hominem à politioribus candidioribusque studijs. Fuere ex Germania complures uiri sanè docti, alij post alios, qui ad Nizolij consilium iuuandum prodeuntes, uolumen illud obseruationum auxere, atque ita Nizolij uestigijs inhærentes, eiusque instituto adiuti, & edocti, Latinam linguam faciliorem, & clariorem reddidere. Vale Romanæ linguæ defensor acerrime. Ex ædibus nostris. 8. Calendas Nouembris. 1569. Nizolij laus.

IO. P. Q. AEGIDIO GIRELLO.

COGITABAM *his diebus Aegidi humanissime, quibusnam remedijs tibi potissimum auxiliari possem, cumque multorum scripta euoluissem, decoctum maluæ, & altheæ epotum huic tuæ ægritudini conuenire inueni: nam decoctum hoc & aspera lenit, & excrementa in renibus, & uijs ductuum detenta, per uias urinæ educit: sed & lac caprinum, magis tamen ouinum à Doctoribus commendari uideo: sua enim pinguedine humores acres lubricat: & uasa urinæ acredine exulcerata, ne erumpantur, uestit, munit, ac defendit: sicque urina facilius, & sine dolore extra corpus expellitur, aquam etiam mulsam tam in cœna, quàm in prandio, loco uini, epotam, mirum in modum opitulari uideo: urinam copiosè effluentem, quod & ipse sæpe expertus sum,* 32

 reddit.

reddit: mel. enim uias aperit, humores omnes crassos, & tenaces abstergit: Quare Romanus ille cùm ad senectutem usque inculpata semper ualetudine peruenisset, interrogatus, quibusnam remedijs usus esset? respondisse fertur, intus mulso foris oleo: potabat bonus ille Romanus, spreto uino, aquam mellis. Sed & ptisanam ordeaceam in prandio assumptam, multum conferre puto, membra spiritalia, & naturalia humectat, lenit, aluum lubricam reddit, urinam facilitat. Hæc sunt mi Aegidi tuæ inualetudini facillima & præsentanea remedia, quibus si sæpe usus fueris, pristinam salutem certissimè consequeris: neque enim credas calculo te laborare, qui enim tali infestantur morbo, pondus in lumbis, si lapis in renibus, uel in poris uritidibus adest: Si uerò in uesica, pondus inquam grauitans ibi sentiunt: tu nullum horum sentis, nam in incessu grauedo aliqua adesset. Præterea si lapis esset in uesica, sabulum, & arena in fundo uasis urinæ appareret, ut ait Hippocrates 4. aphorismorum:. 77.

„ *Quibus in urina crassa furfurea quædam simul exeunt, his uesica scabie laborat Et 79.*

„ *Quibus in urina desident arenosa, ijs calculo uesica laborat.*

„ *Galeni uerba in commento hæc sunt.*

„ *Siue enim in renibus, siue in uesica calculi generentur, unà cum urinis exeunt arenosa.*

Præterea si lapis esset in uesica, siringa inuentus fuisset. Sola igitur iecinoris & renum intemperies calida, ea est quæ humores adurit: adusti uirtutem, expulsiuam, ad intempestiuam, & immoderatam urinæ excretionem guttatim sæpe irritant. 6. de locis affectis, cap. 4. Galeni uerba hæc sunt.

„ *Vesicæ accidens proprium, iscuria, id est urinæ retentio: stranguria, id est, urinæ stillicidium, seu immoderata urinæ excretio.*

Est & tertia species morbi, de qua Galenus nullam mentionem fecit, ab Aetio & Alexandro Tralliano, dissuria nominata: Aetij uerba Sermone 11. ca. 19. hæc sunt:

„ *Dissuria dicitur, cùm meiere æger cupit, & cùm ui urinæ excernuntur.*

„ *Stranguria autem appellatur, cùm paulatim, & guttatim urinæ destillant, & assiduam ad mingendum irritationem faciunt. &c. Et cap. 21. Iscuriæ, hoc est urinæ suppressæ affectionem, etiam ipsum nomen declarat, ægris enim in totum urina supprimitur, ac cohibetur. &c.*

Traliani uerba libro 3. cap. 37. hæc sunt.

„ *Quibusdam lotiū interdum subtillum fit (quod uitium Græci στραγγουρίαν dixerunt) ubi accuratè considerādum est, si urinæ acuminis quidpiam in se contineant, & uniuersus corporis habitus ex acrimonia, & bile constet, atque cum omni conatu insistendum acredini, quæ uellicando urinæ stillicidium efficit.*

cit. Si uerò nihil horum, neque quicquam eiusmodi infestarit, sed contraria om ››
nino ratione eueniat: lotiumque redditur candidius, & languidus edulijs bal- ››
neisque usus est frigidis, è gelida intemperie stranguriam originem trahere cen ››
seto: sicuti illam superiorem ex calida urinæ temperatura praua, &c. Et ››
capitul. 38. ››

Multo conatu urina (quod malum à Græcis δυσουρία uocatur) interdum ››
non sine magno cruciatu, interdum citra dolorem effluit: Si enim ægrè id, uel ››
toto canale obstricto nihil fluit, (quæ proprie ἰσχουρία est) cum ingenti dolore ››
uesicam affligi existimandum est, & si citra grauitatem cum immensa uellica ››
tione, ac stimulo puncturave id mali afficiat, hulcus uesicam tentasse iudicare ››
oportet: Sin grauedo pariter molestarit, euidentius id & longè certius phleg- ››
mones, siue abscessus indiciũ esse putato. &c. Hactenus Aetius & Tralianus. ››

Si autem affectus iste tuus proueniret ab humoribus frigidis, crassis, & tenacibus uias urinæ obturantibus, tunc Doctores isti Græci laudant decoctum quinquefolij, uel betonicæ, uel asparagi, uel peoniæ, uel agrimoniæ, uel fœnicu li, uel petroselini: laudat etiam Tralianus decoctum rafani, quod ego non probo: nam decoctum hoc nimia caliditate febrem induceret. Cæterum decoctiones istæ non debent exhiberi, nisi prius facta fuerit uentris lenitio medicamentis lenientibus, ut caßia, uel electuario lenitiuo, uel diasebesten simplici, & similibus, quæ habent educere humores crassos, in stomacho, intestinis, & uijs latis existentes, facta igitur prius uentris lenitione, accedendum est ad assumptionem istarum decoctionum.

Supprimitur etiam quandoque urina propter excrescentem intrinsecus carnem, canale urinæ obturantem.

Benedictus Victorius Fauẽtinus, olim præceptor meus, in facultate medẽdi clarißimus, quem ego Patauij publicè profitentem per sex annos audiui, in sua empirica, cap. 44. ubi agit de calculis renum, facta prius lenitione uentris prius lenitione uentris medicamentis lenientibus, ut supra, si lapis adsit uel in renibus, uel in poris uritibus, uel in uesica, ordinat multa remedia. Vide ibi. Quoniam autem calculo tu non laboras, propterea neque illa remedia tibi sunt tentanda, sed solum ea, quæ dissuriam, uel stranguriam, uel iscuriam, quibus tu laboras, remouere possint: atq; ex oĩbus supradictis remedijs, quę tibi faciliora erunt, eliges. Persisterem itaq; ego in illis decoctionibus superius à me enumeratis: fac igitur periculum, ac bono sis animo: spero enim te breui conualiturum. Precor autem Deum optimum Maximum, ut eam sanitatem tibi largiatur, quam ego & anhelo, & summis uotis opto. Vale amicorum amicißime. Ex ædibus nostris, idibus Februarij 1571.

Ioanni

IOANNI PLANERIO QVINTIANO Viro optimo ac eruditissimo, Aegidius Girellus.

33 *AGO tibi maximas gratias, maiores semper habiturus pro ista tua admirabili humanitate, ac sedula de amico tuo cura, pro tot, tantisque abs te causa mea susceptis laboribus, quibus nimirum amor in me tuus perspectus quidem antea, magis, atque magis innotuit: cui ego amori, utinam cæteris rebus possim, amore certè respondebo. De aduersa ualetudine mea dimimutū est nihil. isdem etenim conficior doloribus, quibus cùm tu aderas, discruciabar: spero tamen tua fretus diligentia, usque medicaminibus, quæ abs te non minus studiosè, quàm amanter inuenta, mihique perscripta sunt, fore, ut propediem conualescam. Quòd me ad Astrologiæ studium cohortaris, illud omninò tibi persuadeas uelim, me, ut par est, & monitis, præceptisque tuis, quantum in me erit uirium, uberrimos fructus percepturum: nam licet semper duxerim, nihil cœlesti ista speciosius esse uirtute, nihil amabilius, nihil libero homine dignius, & hæc semper mirabilem in se sui amorem excitarit: tamen ex acerrimo hortationis tuæ stimulo pristinæ uoluntati, uel cupiditati meæ potius tantum additum est, ut ardentior fieri non possit: & cùm antea semper exstimauerim id totum perire tempus, quod à me uni isti uirtuti comparandæ non impertiretur: nunc uerò illud prorsus in animum induxi meum, me omnium inertissimum hominem existimatum iri, ac ne hominem quidem, nisi tam amantissimi, & eruditissimi uiri monita apud me multum ualuisse uidebuntur. quare cupio te quamprimum uidere, iucundissimo aspectu tuo frui, & ab ore tuo, tanquam à diuino oraculo, sicuti soleo, pendere. Vale. Brixiæ. 3. No. Martij. 1571.*

IO. P. Q. AEGIDIO GIRELLO.

34 *DOLEBAM aliàs mi Aegidi, & uehementer dolebam, te aduersa ualetudine molestari, nunc contra lætor, quòd Dei auxilio, iam ualidus robustusque factus sis, ut cum Athletis conferri, & luctari iure possis: Quare tibi gratulor, teque etiam atque etiam hortor, ut reiecta melancholia, animum tuum alacriorem reddas: Sic enim pulcherrimo, & cœlesti literarū studio intentius incumbes. Posteaquam igitur consecutus es sanitatem, optarim, mi Aegidi, ut Ioannis de Sacro busto, & Georgij Purbachij libellos euolueres; nam in his duobus opusculis uniuersa corporum cœlestium cognitio continetur, atque ita*

Poetas omnes, quorum uolumina astronomicis supputationibus sunt referta, facilius intelliges.

Age uerò quænam maior potest esse uoluptas? quàm scire causas, cur Luna in nouilunio, quandoque citius, quandoque tardius, nunc corniculata, nonnunquam dimidua, interdum plena appareat? Cur uarias illas Luna uicissitudines induat? Cur tam Sol quàm Luna in Oriente & Occidente maior, in Medio cœli minor appareat? Cur in æstate longissimi sint dies, noctes breuissimæ: in hyeme contra, breuissimi dies, longissimæ noctes? uere & autumno æquales? Cur Aquilonaris plaga frigidissima, Australis calidissima? Polus tamen antarcticus & ipse frigidissimus: cur Luna quandoque partim, quandoque uniuersim ecclipsetur? Sol uerò licet partim, nunquam tamen, ratione diuersitatis aspectus, totus Sol toti terræ ecclipsatur. Cur Maro dixerit:

Defectus Solis uarios, Lunæque labores. Et, »
Hic canit errantem Lunam Solisque labores? »
Cur idem Maro in Georgicis dixerit: »
Candidus auratis aperit cum cornibus annum »
Taurus, & aduerso cedens canis occidit astro. Lucanus. »
Tunc nox thesalicas urgebat parua sagittas. Et, »
Deprehensum est hunc esse locum, quo circulus alti »
Solstitij medium signorum percutit orbem. Et, »
Tunc furor extremos mouit Romanus horestas, »
Carmenosque duces quorum iam flexus in Austrum »
Aether, non totam mergi tamen aspicit Arcton »
Lucet & exigua uelox ibi nocte Boothes. »

Hæc & multa alia ex Ioanne de Sacro busto facillimè percipies, sexcenta sunt apud Poetas scholia primum difficillima, mox lumine astronomiæ illustrata, facillima redduntur. Illud scitu dignissimum, Solem ipsum tribus moueri motibus, primò ab Oriente in Occidentē, motu raptus a primo mobili, secundò ab Occidente in Orientem, motu proprij orbis, tertiò à Septentrione in Meridiem, motu titubationis: octauę sphęræ, qui motus quia tardissimus, ideo ab antiquis ignotus. Ducentesimo, & quinquagesimo ab hinc anno, in Rhodo insula, primum ab Abrachi deprehensus, mox à Ioanne de Mōte regio, ultimo à Purbachio, & à Delphino, præceptore meo experientia approbatus. Vide quàm procax & discendi auida sit mens humana, ut non solum maria, & terras suis terminis clauserit, sed & cœlum etiam ipsum metiri uoluerit, magnitudinem & ambitum terræ per utrunque emisphærium, uno cum dimidio supra triginta mille milliaria contineri certissimè cognouit, eiusdem terræ distantiam à centro ad circumferentiam, à circūferentia ad Lunam, a Luna ad Astronomi operationes uariæ.

 reliquos

reliquos planetas, mathematica ratione docuit: fluxus, & refluxus maris cau ſam expreßis, cælum ipſum uario & multiplici motu prorotari, manifeſtum fecit: Solis & Lunæ futuros defectus, & duraturos recta ſupputatione demon ſtrauit. Planetarum ſyderumque omnium influxus, & quæ euentura ſunt, prę dixit. Quid? Deum ipſum immortalem in æquinoctiali circulo, & oriente ſedentem Ariſtoteles philoſophorum princeps octauo Phyſicorum tanquam digito indicauit.

Peroratio.
Aſtronomia uia ad cælum.
Anima rationalis è cęlo orta, & ad cælũ reditura.

Hæc ſunt mi, Aegidi, quę te ad inchoatũ Aſtronomię ſtudium excitare, & inſlammare poſſint, ut cæleſtem hanc, & pulcherrimam cognitionem conſequi poßis, & ab hac tanquam per gradus, & ſchalam ad ſupremam illam, & ineffabilem intelligentiam immotam; omnia mouentem, omnia moderantem tibi aſcendendum, & ad cælum, unde ortus es, tibi tandem redeundum, & quæ ſcendum: nam animam intellectiuam è cælo ortam eſſe, & ad cælum redituram, & Plato in Thimeo, & ſacroſanctæ teſtantur literæ. Vale amicorum amicißime. Ex ædibus noſtris. 1572.

IOANNES PAVLVS CREMONENSIS nepos. Ioanni. P. Q. auunculo.

35 CVM *iam multi dies, menſesque præterierint, in quibus à patria diſceſſiſti, ut Venetias te conferres: quæ ciuitas tam nobilis, & omnibus rebus ornata eſt: impulſus magno amore, literas ad te exarare, omnibus animi, ingeniją; uiribus nixus fui: ut aliqua in parte amorem & beneuolentiam, qua te proſequor, oſtenderem: quia ſi centum linguas haberem, non mihi ſufficerent, illum tibi patefacere, quamuis tot millia paſſuum à me diſtes, tamen ſemper in intimis animi mei partibus te fixum habeo, cùm propter beneficia quæ à te accepi, tum etiam moribus atque uirtutibus, quas in te uigere cognoſco, quibus dies noctesque plurimum ſtudeo, ut illis à me maximo ſtudio diligentiaą; comparatis, eaſdem laudes dignitatesque & honores aſſequi poſſim, quibus uideo te ornatum eſſe. Poſtea etiam ut uoluntati mei amantiſſimi patris ſatisfaciam, qui libenter nummos præceptorum ſoluit, ut domui noſtre, & omni reipublicæ alicuius frugis ſim, etiam ut à meis maioribus non degenerem, qui tantum elaborauerunt, ut ad aliquos honores, & dignitates peruenire poſſent. Habes animi mei erga te beneuolentiam quam tibi hac epiſtola ſignificaui, quam ſi tibi gratam fuiſſe intellexero, ſæpius ad te literas dabo, nihil aliud à te peto, niſi ut tuam ualetudinem cures, & omnibus meis aſſinibus nomine meo ſalutem plurimam dicas. Vale. 15. Cal. Octobris.* 1573. *Cremonæ.*

IO. P. Q. IOANNI PAVLO NEPOTI adolescenti.

LITERAE *tuae me ualde delectarunt, quibus perspexi & amorem erga me tuum, & te multum in literis profecisse: fuit mihi iucundissimum hoc ingenij tui specimen, & tyrocinium. Quare tibi gratulor, teque etiam atque etiam hortor, ut tam feliciter incohatum à te literarum studium, felicius etiam ad optatum finem perducas: id facillimè fiet, si Ciceronem eloquentiae parentem diu, noctuque euoluas. Non desunt, nec deerunt tibi libri. Habes etiam praeceptorem optimum, tui, meique amantißimum, quem ego ob singularem eruditionem, & uitae probitatem, summo semper amore sum prosecutus. Is igitur tum fando, tum interpretando, ad consequendam uirtutem, ad comparandam eloquentiam, facillimum tibi parabit iter: ni mirum & ipse Cremonae educatus, sub optimis praeceptoribus instructus, Poeticae, Rhetoricaeque praecepta optimè callet. Vrbs enim illa omnium bonarum artium altrix, & magistra semper extitit: ex qua, tanquam ex equo Troiano clarißimi prodiere uiri. Et ut ueteres prateream, floruit aetate nostra Hieronymus Vida Cremonensis, quem nescias, Poeta ne maior, an Orator fuerit: tantum in utraque facultate excelluit, testantur hoc tot praeclara eius uolumina ab ipso edita: floruit & Lampridius Cremonensis, qui tum Patauij, tum Mantuae literas Graecas summa cum laude docuit: floruit & hac in Vrbe Veneta Bernardus Felicianus, Cremona oriundus, qui & publicè, & priuatim literas Graecas, & Latinas professus est: quiq; multa Galeni & Aristotelis uolumina latinitate donauit. Claruit & Homobonus Cremonensis, Philosophus, & Medicus clarißimus: Perlongum esset, si quot praeclaros illius urbis viros cognouimus, recitaremus. Perge itaque mi Ioannes Paule, macte uirtute noua, & quem optimum uitae, studiorumque cursum, Deus optimus Maximus tibi dedit: eundem etiam ad corporis usque interitum, perpetuo uitae tenore retinendum tibi putes: ut soluta tandem corporis compagine, aeternus, & immortalis animus ad caelestes illas sedes, unde profectus est, euolet. Venetijs pridie nonas Decembris.* 1573. 36

Cremonẽsium laus.

IOANNES PAVLVS CREMONESIS Ioanni P.Q. auunculo.

QVANTAM *letitiam, gaudiumque ex tuis candidissimis, doctissimisque literis proximè ad me perlatis acceperim: oratione licet prolixa consequi non possem: tum quia eas ornatas pulcherrimis sententijs uidi, quae ita mihi placuerunt, ut me quotidie eas legere delectet, tum quia ex illarum singu* 37



lis partibus incredibilis tuus erga me amor, gratus, & acceptus mihi ſe oſtendit: tum etiam quia te, ut ſtudium literarium inceptum perficere uelim, meipſum adhortari perſpexi, tum demum quia ſalutem tuam, & optimum ſtatum totius tuæ familiæ his lectis facilè animaduerti: itaque ne admonitiones uiri tam uirtute nobilis, liberalisque, & omnium, quos aliquo ſanguinis uinculo mihi coniunctos cognoſco, gloria ſapientiaq; principis negligerem, ad unguem mihi hoc præſtandum propoſui: quem amore, & animo patrem, beneficijs (ſi uoluntatem reſpicere uelim, quæ pro facto habetur) fratrem, optimis conſilijs auunculum mihi eſſe cognoui: Et etiam quia uidebam hominem ſine aliqua uirtute, ab omnibus ut bullam, & imaginem mortis haberi: nam uirtus illa eſt, quæ efficit, ut homines, qui illam acquiſiuerunt, maxima cum laude, gloria, honoreque uiuant: uirtus illa eſt, quâ homines à beluis differunt, quaque à ſuis inimicis ſeipſos tuentur: quâ primas dignitates in urbe conſequuntur: quâ amicitias conciliant, atque conſeruant: & denique uirtus illa eſt, quæ homines immortales reddit, ut etiam poſt mortem apud poſteros uiuant. Quamobrem plurimum elaboro ut eam poſſideam, illamque conſequuturum me ſpero, & confido: quia præceptori optimo, peritoque do operam, qui ſtimulis, admonitionibusque ſuauiſſimis me excitat, ut doctus euadam: Et etiam quia te promptum, paratumque ad mihi tuum auxilium ſtudiumque, quibuſcunque rebus potes, præſtandum, in quibus opera tua indigeo, cognoſco. Vale, omnibusque meis affinibus nomine meo ſalutem plurimam dicito. Cremonæ decimoquinto Cal. Decembris 1573.

IO. P. Q. IOANNI PAVLO NEPOTI adoleſcenti.

38 E**T** *amabam te antea mi Ioannes Paule, & amarem te non deſinam, donec uita mihi contigerit: quòd ex tuis literis nuper ad me delatis, ſatis te ad uirtutem inſlammatum cognoui: nulla itaque calcaria tibi feliciter currenti, & ad metam optatam properanti ſunt adhibenda.*

Illud tamen admonitum te uelim, ut tuo in hoc humanitatis ſtudio, latinæ linguæ puritatem, facilitatem, elegantiam, ſeruandam, ac retinendam tibi putes: vt à principio uſque ad finem, oratio ipſa non interrupta, lenis, & placida ſemper fluat: & ne fortè cadat, ſuſtinenda: propterea latini ſcriptores ſolutam, pedeſtrem, & numeroſam appellarunt orationem: ſolutam quidem, quòd libera, & nullis uinculis ſit ligata: pedeſtrem, quòd quaſi pedibus ſummo cũ decore, & audientium incredibili uoluptate progrediatur: numeroſam, quòd certis & terminatis numeris, ſicuti Muſica, ſit conſtituta. Præſtabunt tibi hoc

familiares

familiares Ciceronis epistolæ.

Et quod in fluminibus, quibusdam, Pado præsertim, facilè animaduertas: idem etiam in oratione præstandum. Trãslatio.

Fluit Padus ipse omnium Italiæ amœnissimus supra Ferrariam urbem, rectus, nullis anfractibus interruptus, intra alnei ripas contentus, lenis, & placidus, tanta facilitate, ut spectantium oculos mira uoluptate afficiat. Padi fluẽtis descriptio.

Illud etiam obseruandum: ut quot sunt in oratione uerba, tot etiam sint aureæ sententiæ: ut semper grauitas orationis cum grauitate & pondere sententiarum progrediatur. 2

Hinc uanitates, obscœnitates penitus reijciendæ, & explodendæ. Quandoquidem omnis nostra actio, & instructio ad honestatem, modestiam, ad usum, & institutionem humanæ uitæ esse debet: ut neque indecorè, auarè, effœminatè agas, aut dicas, aut scribas. 3

Proptereà quicquid feceris, uel dixeris, uel scripseris, id omne honestum, iustum, sanctum, pulcherrimum, & memorabile edendum. Suppeditabunt tibi omnia hæc libri tres Ciceronis de officijs, de amicitia, de senectute, Thusculanæ quæstiones: quos libros non modo legendos, sed ediscendos testatus est Plinius anthor grauissimus: qui libri non ab Ethnico homine, sed à sanctissimo Theologo uidentur scripti. 4

Age uerò & uerborum, & sententiarum sylua ex scriptoribus probatissimis comparanda, ut cùm quid sit uel dicendum, uel scribendum, ex quodam ueluti ærario, & suppellectile quadam parata habeas, unde depromas. Hinc luculenta, lactea, & exuberans prodibit facundia: qualem apud Ciceronem, Demosthenem, Liuium, Herodotum, Thucydidem, Plutarchum reperias. 5

Iam uerò & Grammatici excutiendi. ex Latinis Priscianus, Diomedes, Seruius, Varinus Veronẽsis, Laurentius Vallẽsis. Ex Græcis Laschar us, Chrisolora, Theodorus Gaza, Vrbanus. Ab his dicendi, & scribendi artem, & methodum perdisces. Hi omnes tuà in hac adolescentia euoluendi. 6

Sed nec Poetæ omittendi. Ex Græcis Homerus, Hesiodus, Theocritus. Ex Latinis Virgilius, Horatius, Lucanus, Prudentius, Claudianus. 7

Reliqui ut uani, & obscœni, certè ablegandi, & ab adolescentibus reijciendi: uanitatibus, & impudicitijs iuuenum animos inficientes. Hi sunt Ouidius, Martialis, Iuuenalis, Tibullus, Propertius. Catullus autem, & si doctus, inter obscœnos tamen & ipse connumerandus, & reijciendus. 8

Comici omnes, ut impuri & ipsi, nisi ab adultis, & doctis percurrendi. Plautus, Terentius, Aristophanes, Lucianus. 9

Procedente autem ætate ad grauiora, & seueriora studia tibi progrediendum: ad disciplinas scilicet Mathematicas, ad Dialecticam, & philosophiam. 10

In his aliquot annos commorandum.

11 *Demum ad Theologiam, ut ad ſupremam, ita omnium nobiliſſimam, & utiliſſimam, noſtræ ſalutis authorem, & parentem tibi aſcendendum. In hac, ut in portu omnium tutiſſimo, poſt longam, & operoſam humanæ uitæ nauigationem, & in rebus humanis præcipitem decurſum, quieſcendum: & cum Dei benedictione uiuendum, & moriendum. Venetijs 6. idus Ianuarij. 1574.*

VARINVS, *& non Guarinus, Vilielmus, & non Guilielmus, legendum eſſe cenſuit: Ioannes Franciſcus Quintianus, Stoa, Poeta laureatus, Conterraneus meus in ſuis Aepographijs, ubi de ſyllabis agit: uide ibi diffuſius. Propterea & nos Quintianum ſecuti, ſuperius Varinus Veronenſis rectè ſcripſimus.*

IOANNES BAPTISTA EGNATIVS Venetus Ioanni Franciſco Quintiano Stoę Poetę Laureato.

39 ET *cùm Mediolani agerem, ſecutus oratores Venetos, te primum amare cœpi, & nunc tantus acceſſit amori cumulus, poſtquàm literas a te legi, ut ad beneuòlentiam erga te meam addi nihil poſſit. Quare Quintiane mi breui ſic accipe, me tuum planè eſſe, nihilque non iuris in me tibi iam licere, fruere me ſtudiorum comite, fruere in amore fratre altero, fruere quacunque fortuna contigerit amiciſſimo uiro. Meretur hoc uirtus excellens tua, meretur bonarum artium in te ſtudium, meretur hæc tua animi propenſio. Non fallam expectationem tuam, dummodo aut ipſe per me ſciam, aut tu admoneas, quid mihi facto ſit opus, ad dignitatem tuam, & ornandam, & augendam. Et quoniam ſcire (ut opinor) aues, quid Meribarbus, quid Galeranus agant, ſcias uelim, noſtrarum literarum utrunque cultorem acerrimum, utrunque nobilem, non ſummo tantũ genere, ſed uirtute, & probitate. Cæterũ quando mihi cum Meribarbo uetus intercedit conſuetudo, de eo tibi aliquid polliceri plus habeo, hominẽ ſcilicet tui bonorumque omnium amantiſſimum, uirtutis & literarum cupidiſſimum. in quo cùm multa uirtutis eluceant ueſtigia, tum uerò illud, quod (ut ingenuus eſt) & ſe tibi debere etiam atque etiam fatetur, & ita de tuis laudibus apud omnes prædicat, ut uiri optimi & grauiſſimi teſtimonio, omnino tibi non parua acceſſio facta ſit apud nos & dignitatis, & nominis. Illud uerò interim præterire non poſſum, quod ab initio debueram, tuas mihi literas multo gratiſſimas extitiſſe, quæ tamen aliquanto plus iucunditatis attuliſſent, ſi ingenij tui felicitatem ad meliora uertiſſes, hoc eſt, ſi te Ciceronis, aut eius ætatis*

ſcriptorum

ſcriptorum ſimiliorem eſſe maluiſſes, qua in re nec iudicium tibi deeſſe, nec ingenium planè uideo, niſi tu fortaſſe (ut res humanæ ſunt) tu tuo, ego meo guſtui plus faueo, benè uale Quintiane Cariſſime, & nos literis frequenter inuiſe. 1526. *die* 16. *Maij. Venetijs.*

IOANNES FRANCISCVS QVINTIANVS Stoa, Ioanni Planerio Quintiano conterraneo ſuo.

40 QVAS *recenti impreſſu Venetijs publicatas Aepographias narraſti meas, hodie Grammatici cuiuſdam opera non modo lectitauimus, uerum & earum typos ipſos non parum ſuſpeximus: quando non minus noſtro fuerint cordi, quàm tuo. proinde labori parces, nec ad nos mittere tam enixim, ut ſoles, curabis. Illud tamen preſſius frequentiusve recordator impreſſorem ipſum per literas admonere, ne auaritia, aut ſecordia diutius hæſitet, quo minus recognitionem hanc inuulget: qua (ut reor) nil exactius, copioſiusque, ac eruditius à me quicquam exibit unquam, ob id mihi nomen & famam, municipalibus coronam & gloriam, illi uerò non infimum lucri parabit uſum. is eſt Melchior (ſic ſe adpellat) Seſſa: cui certè non parum debeo, quòd tam bellis caracteribus opus illud exſcribi curauerit. Cùm Patauij eris, Cæcilius Minatianus Apuleius aures tuas uellicet, ut quod nobis uolens pollicitus fueris, abſolutum libens reddas. Vale, & me Lampridio Lazaroque & Egnatio, uiris extra omnem eruditionis aleam poſitis commendato. & Quintianum, quod facis ama. A. Vil. Cla. quarto idus Iulij.* 1533.

IO. P. Q. IOANNI FRANCISCO Quintiano.

41 HVC *cùm ueniſſet Stephanus Planerius, accepi te fratremque tuum athleticè pugilicèque ualere. id de me intelligas uelim. Ego cùm huc appuliſſem, literarij illum ludi magiſtrum conueni, rogauique tuo nomine, ut Cæcilij Minatiani fragmenta mihi exhibere uellet, libens ille oſtendit, exhibere noluit: ego nec precibus, nec amicis flectere hominem potui, ait ſi hic eſſes, mutuo ſe tibi daturum. Ego fragmenta illa curſim legi, multa adnotatione digna inueni. Habet & alium grammaticum nuſquam uiſum, lacerum iam longaq; uetuſtate conſumptum, cui ille multum tribuit, & quem in quodam ueluti ſacrario cuſtodit, deſunt in fronte paginæ nonnullæ fortaſſis muribus corroſæ, ob id nomen grammatici ignotum eſt. Circumferuntur & Flauij Soſipatri Cariſij*

grammatici

grammatici uetustissimi, institutionum grammaticarum libri quinque, quos olim Parrhasius inuenerat, nunc Pierius Parrhasii auditor in lucem edidit, mutilati sunt & ipsi, desunt in primo libro capita de Grammatica, de uoce, de literis Hic est ille Carisius, cuius tanti fuit apud Priscianum authoritas ut Carisii testimonia tanquam Delphico quodam oraculo profecta, sæpe citare non dubitauerit. Iam uerò & Lazarus Bassianus publicus Latinæ linguæ, ac Græcarum literarum in hoc florentissimo totius Italiæ gymnasio professor, tantum maiestati Carisianæ tribuit, ut cæteris grammaticis anteponẽdum putet. Suaserim igitur mi Quintiane ut hosce grammaticos & uideas, & perlegas priusquam Aepographias tuas in lucem edas, inuenies fortasse aliquid contra grãmatica tuæ ferulas, uenalis est Venetijs Carisius, impressus est Neapoli, libes emissem misissemque, si per tabellarios licuisset. Hodie impressori illi Melchiori Sessæ obuiam factus, admonui, ut recognitionem tuam in easdem æpographias cudere uellet, pollicitus est se id præstiturum, scribam in posterum copiosius, limatiusque. Valeas, uigeas, floreas, & Planerium tuum foueas. Venetijs Cal. Ianuarijs. 1534.

IO. P. Q. IOANNI FRANCISCO Quintiano.

42 V I X *credas Quintiane humanißime quantum mihi displiceat, quòd Cæcilium Minatianum Apuleium mittere ad te non potuerim, habet grammaticus ille, & quadam ueluti in arce custodit, millies tuo nomine efflagitaui, tum ille, ego uerò inquit Quintiano uidendi copiam facerem, si adesset, sed nolo è manibus elabi. Quid multis? clauam Herculi facilius extorqueas, habet & alia cuiusdam grammatici fragmenta, quæ cursim summa cum admiratione perlegi, opus esset, ut per aliquot dies huc accederes, & si quid in commentarijs ipsis adnotatione dignum esset, excerperes, quod ut facias, etiam atque etiam rogo, nec te suscepti itineris pœnitebit: uidebis & alios grammaticos uetustißimos nouiter in lucem editos, puta Flauium Sosipatrem Carisium, cuius in commentarijs suis Priscianus meminit. Vale, & me, ut soles, amato. Patauij Cal. Iunij. 1534.*

E I D E M.

43 N O N *poßum non mirari Quinctiane doctißime, quòd cùm olim ad me scripseris te propediem huc uenturum, nunc mutata sententia, non modo non uenias, sed nec quidem scribas, opinor te Venetæ urbis amœnitate detentum*

esse.

esse. Sunt hic qui te uehementer expectent: Ioannes Antonius Rosa. Aloysius Bellacatus. & qui Cæcilium Minatianum in quodam ueluti sacrario custodit. Vale. et comitem Lucretium Gambaram literatorum Mecenatem meis uerbis salutato. Patauij Cal. Septembris. 1536.

EIDEM.

NVDIVS *tertius ad te scripsimus, sed quoniam nostræ fortasse tibi non fuerunt redditæ, ob id non grauabor, denuo te per literas admonere, orareque, ut quanto celerius fieri poss it, uenias: non enim uereor ne crebris epistolis te obtundam, scio meas tibi esse gratissimas. Cæterum si non ueneris, ego interim ad balnea ipsa, quæ ab urbe sex milliaribus distant, perendie proficiscar, ibi cadentem in uertice guttam excipiam, spero id præsentaneum mihi fore remedium, scis me destillatione (catarrhum uocant alij) laborare. Episcopus ille Vgonius Brixianus literas, quas sibi frater destinarat, non habuit, ægrè tulit, quòd perlatæ non fuerint, dixi te per tabellarios eas misisse. Patauij 3. nonas Septembris. 1536.* 44

EIDEM.

QVOD *superioribus diebus ad te non scripserim, mirari desinas, nihil enim scribendum occurrebat. nunc accipe rem non modo uisu, sed auditu quoque dolendam & miserandam. In uico proximo, non longè à diui Augustini Fano, (sunt enim ibi actuariæ nonnullæ naues, quæ commeantium turbam ultrò citroque deuehunt.) degebat igitur ibi mulier, nautæ cuiusdam uxor, à cœna itaque ingruentibus tenebris, maritus ad uxorem conuersus, obsecro te inquit carissima uxor, ut ianuam claudas, & domum custodias. ego quoque in naui mea (ne fures aliquid subtrahant) dormiam, mulier mandata peragit, cæterum intempesta nocte, & ut inquit uates.* 45

Cùm tacet omnis ager. pecudes, pictæque uolucres. "

Mulier somni impatiens, domum egreditur, nauim conscendit, ibi cùm neminem uidisset, clamore sublato, siccine inquit à marito decipior è furore fanatico indignationeque mulier percita, domum ingreditur, portas obserat, eiulatu, clamoribus domus perstrepit, lachrymans, singultiensque animi ægritudinem decoquit: discussa nocte exortoque iam Sole, maritus reuertitur, mulier composito uultu, ridenti similis, mærorem tristitiamque dissimulat, postera nocte maritus domi dormiens, profundo somno sepultus, quiescebat leniter, mulier retaliandæ iniuriæ occasionem sibi datam esse rata, facinus detestandum

& execrandum excogitat, arrepto itaque radenti pungentique ferro maritum iugulat. Hæc exarasse uolui, ut non dolore solum & misericordia te afficerem, sed & quam sæuum & iracundum nonnunquam sit muliebre ingenium digno sceres, digna sanè historia quæ inter tragicas connumerari debeat. Patauij 16. Cal. Februarias. 1537.

IO. P. Q. IACOBO PETRECINO Castionensi.

46 CVM *quæ mihi pollicitus es præstare te non uideam Petrecine doctissime non possum certè non mirari. Quare rogo obtestorque pro singulari tua in me beneuolentia, ut tuas in Terentianum annotationes, neque uerò non dubia illa olim à Cælio nostro ad Egnatium conscripta ad me mittas: id si feceris, & mihi, & Cælio etiam ipsi, qui nunc ea à me efflagitat, adeò rem gratam facies: ut nihil gratius esse possit. Ego simulatque ad me miseris, curabo, ut Cælius quoque ipse & uideat, & habeat. Vale & Planerium tuum, ut facis, ama. Ex Castro fido. 8. Idus Aprilis* 1541.

IACOBVS PETRECINVS IOANNI P. Q.

47 EXCELLENTISSIME *Doctor, nisi uertiginis caput meum affectu uexatum fuisset: tuis propria uenustissimis respondissem literis: aliquot ad te iam dies quæ pollicitus fueram: quæque expectabas lubentissimè tradidissem. Si Cælij hac tempestate undecunq; doctissimi dubia illa inuenissem: quod dum uerebamur superioribus diebus ne Cæsaris milites tunc in agro Mantuano hyemantes nostros ad lares ruerent, supellectilem omnem in arcem tulimus: eorum discessu, nonnulli ex nostris libris in arcula latuere, qui dubia illa clausa, me inscio, continebant: quæ tandem summo quæsita studio: reperta sunt: & quantum mente colligere possum, ea mihi dederat scholasticus quidam Vicentinus, qui nostro in contubernio biennium humanas literas discens uixit. accipias igitur ipsa exhibiturus meo nomine Cælio nostro, cui me plurimum commendatum facies: atque me deditissimum significabis. Nostras præterea in Terentianum lucubratiunculas, licet insulsas, apud te hospitio suscipi patiaris obsecro: ut saltem quod propria ui non merentur: id honoris, tua sub umbra sedentes, ab alijs adipiscantur. Quicquid autem erroris tum in orthogrophia, tum in elementorum & mutatione, & præposteratione sensum mutantibus inuenies: illud malo, qui me decepit, impressori ascribes. Vale. & Iacobum Petrecinum, ut amaris, ames. Dat. Castioni. 7. idus Aprilis.* 1541.

Io. P. Q.

IO. P. Q. FRANCISCO TICINENSI Medico.

RECEPI à fratre meo literas, quibus facilè perspexi, te vehementer optare, vt lectiones ordinarias (sic enim appellant) ad te mitterem. Ego, ut ingenuè fatear, nec illas habeo, nec tantum mihi datur ocij, vt eas describere valeam: habeo duntaxat Matthæi Curtij anatomiam, neque verò non quæstionem illam vulgatissimam de sectione venæ in pleuritide, quas olim non sine magno labore descripseram: ob id quàm gratissimæ mihi semper fuere. Illud interim admonitum te velim, multa Galeni fragmenta hactenus in tenebris demersa, nunc in lucem emersisse, & pristinum candorem recepisse, ita vt in posterum, Arabes omnes frigeant necesse sit. Quid? Paulus Aegineta. Alexander Tralianus. Aetius (certè in facultate medica tria lumina) latinitate nunc donati sunt: quos omnes uidere poteris: circumferuntur enim passim: eos etiam Brixiæ in bibliothecis uenales esse scio: nihil est quod amplius desiderari possit in medendi facultate: ita undique scaturiunt bonæ literæ. Vale & Cælium nostrum meis verbis salutato. Patauij Cal. Ianuarij. 1536. 48

IOANNIS P. Q. ALOYSIO Mundellæ Medico.

VIX credas, quantum mihi quandoque fortuna arrideat: quantumque rursus eadem et officiat, et opprimat: illud itaque in primis scias: me à Castionensibus oppidanis publico stipendio accersitum fuisse: locus est & amœnus, & uini fertilitate celebris: ea etiam est cœli huius temperies, ut multi ad extremam usque senectutem incolumes, inoffensaque ualetudine peruenerint. Sunt tamen nunc, qui me uehementer infestent, ægrotantes plurimi. Sed intemperiẽ hanc non huic cœlo, quod per se saluberrimum est: sed autumno mortalibus infestissimo adscribendam esse putamus. Ioannem cognomento Sauonarolam in praxi satis celebrem, neque non mea in Galenum commentaria, quæ tibi uidenda reliqueram: ac Plinium historiæ naturalis authorem grauissimum, si habes, ad me mittas, obsecro. Vale Castioni. Cal. Augusti. 1546. 49

IOANNIS PLANERII QVINTIANI IN Stephanum Theupulum patritium Venetum, ac Senatorem Clarissimum Epitaphium.

STEPHANVS Theupulus Senator Clarissimus, qui omnes domi fo- 50

risque dignitatum gradus adeptus. Tribunus enim ordinum, continentis, conſilij Sapiens, conſiliarius, & decem conſilij caput, pluries extitit, Corcyræ magiſtratibus duobus in ipſum unum collatis. Cypri itidem Prouiſor, & locum tenens creatus. Maris etiam ter, continentis ſemel (quod nulli antea contigit) ſummus Præfectus. Ad Turcam hoſtem poſt ictum fœdus, orator miſſus. Patauinæ urbis edicto Senatus, prætor iuſſus. Procuratoria tandem Sancti Marci dignitate inſignitus, ſeptuagenarius hic conquieſcit. Obijt anno 1557. *Calendis Iunij.*

IO. P. Q. REVERENDO IOANNI Paulo Bertollio.

51 CVM *ſim ego propediem Venetias profecturus, optarim probum aliquem hominem, qui domum meam, ſupellectilemque omnem à latronibus cuſtodiret: ac ſi quando imbribus ingruentibus fruges meas domi contentas pluuia madefaceret, optarim inquam, ut ipſe rerum mearum curam haberet: neque quicquam madefactum putreſcere permitteret: & domum ipſam patentibus feneſtris, uentis undique perflatam redderet. Hæc omnia ſi tu feceris, & rem gratam mihi feceris, & amorem in te meum his officijs cumulatiorem præſtiteris. Vale ex ædibus noſtris. Calendis Aprilis.* 1573.

BARTHOLOMAEVS THEANIVS Ioanni P. Q.

52 EFFLAGITASTI *ſæpe mi ſuauiſſime Ioannes, ut ſi quid ego interlegendum obſeruaſſem, quod arguere poſſet Rhetoricam ad Herennium inſcriptam, Ciceronis eſſe, tecum libenter impartiri vellem. At cùm tibi dixiſſem, te ab alijs, qui abundè ſatis in utranq; partem diſputarunt, an Ciceronis eſſet, nec ne facilè cogniturum: Tu tamen mihi viſus es, in noſtram potius ſententiam deſcenſurus Ciceronis ſcilicet eſſe, quàm illis fidem adhibiturus. Sed Dij immortales, an unquam tibi perſuadere potuiſſes, cùm non tam cito, ut cuperes, propter noſtras occupationes hoc æs alienum me perſoluere cerneres: nimis diu, vel nunquam potius hanc tam honeſtam, tamque amabilem petitionem negare poſſe? tibique non libentiſſimè obſecuturum? Quando à teneris (ut dicitur) hactenus tanta inter nos amicitia, tanta familiaris conſuetudo, mutuusque amor interceſſerit, isque ad hanc uſque diem ſemper conſtiterit, ſemperque uiguerit? nefas enim hoſtijs expiandum, ſi tam abſurdum facinus commiſiſſem arbitrarer. Præterea quid tam difficile, aut tam laborioſum eſſe poteſt, quod*

tua

tua singularis eruditio, tua dicendi copia, tuus ille in dicendo lepos, eximiaq; illa tua bonarum artium cognitio multiplex à me non solum exposcere, sed etiam extorquere iure queat? Proinde quicquid super hac re animaduerterim, ac reposuerim, quambreuissimè potero, in medium proferre non recusaro, ut & uotis tuis respondisse, & tibi rem gratissimam facere uoluisse uidear.

Vale. Brixiæ. 1579.

CYPRIANVS IARDINVS IOAN. PL. Q.

51 CVM *ego à te singulari illa tua liberalitate compluribus libris donatus sim: & parem gratiam nullo modo mihi liceret tibi referre: perutile, & honorificum uisum est faciendum esse, ut saltem, aliquibus literis tibi gratias agerem: ea enim beneuolentia, & obseruantia, qua te antea meritò prosequebar, ita profectò mihi aucta est, vt nullo modo explicari possit: neque solum tanti muneris largitate, sed incredibili beneuolentia amoreque tuo in me, quem nunquam recensere possem: ijs uerò literis me tibi immortales gratias agere, maioresquè habere tibi persuadeas uelim. Illud etiam scire debes, te à me æque atq; alterum parentem cùm eximijs, innumerabilibusq; uirtutibus tuis, tum necessitudine tua constituta iam cum patre meo, & tota domo nostra obseruari, coli, diligi: Accedit quòd hæc tua in me singularis benignitas ad studia literarum me magis incitabit: ut in ijs progrediendo tantorum meritorum tuorum erga me, dum spiritus hos reget artus, memoriam conseruem: licet parum, aut nihil nos posse sentiam: tamen quibuscunque rebus te, uel tuos iuuare possimus, nunquam defuturos tibi polliceor: Si literæ te minus dignæ fuerint, (nam quantum negocium mihi susceperim, non ignoro) tuæ humanitatis erit, mihi ignoscere. Valetudinem tuam. Quintiani, ad Cal. Iul.* 1579.

MARIVS NIZOLIVS
Cœlio Cynthio.

52 NESCIO *quo casu, quave fortuna hoc accidat, ut quotiescunque istinc à uobis literas accipio, statim mihi necessitas imponatur hinc abeundi: & multos dies quasi peregrè uagandi: ita ut uobis, quemadmodum par est, & ego certè cuperem, respondere non possim. Sic antea cùm Planerius noster ad me scripsit, contigit: Sic etiam nuper usuuenit, cùm literæ tuæ mihi redditæ fuerunt: nam tantum illas legeram, idque cursim, & festinanter, cùm coactus fui discedere: & in magnam quandam huc, & illuc cursitandi molestiam ingredi: quæ me occupatio usque in hunc diem ita districtum tenuit, ut ad te rescribēdi,*

nec tempus, nec ſpatium habuerim. Hodie verò cùm tandem aliquando aliquid ocij nactus eſſem, ac literas tuas denuò legendas in manus ſumpſiſſem, animaduerti, quod anteà non ita conſideraueram, maxima in eis eſſe indicia tuæ non ſolum eruditionis, ac doctrinæ, ſed etiam humanitatis, & beneuolentiæ erga me: quorum & ſi ſuperius illud antea mihi non erat ignotum, tamen utroque uehementer ſum delectatus: atque adeo mehercule commotus, ut me ualde pigeat, pudeatque quòd tamdiu tibi reſpondere diſtulerim: Sed habes cauſam tam diuturnæ dilationis, qua cognita ſpero fore, ut mihi pro tua humanitate non grauatè ignoſcas: nam poſthac non committam, etiam ſi maximè occupatus ero, ut tu me aut literis ſcribendis, aut ullis officijs unquam ſuperaſſe uidearis. Nunc uenio ad literas tuas: in quibus quòd te tam diligenter excuſas de Chariſio paulò tardius mihi remiſſo, nihil erat mi Cæli quòd te tantopere de tam parua re excuſandum putares; nam ego illum apud te eſſe facile patiebar, ſed arbitrabar fore, ut mihi migrandum eſſet cum tota ſupellectile, eaque de cauſa Chariſium abs te repetiueram: nunc, ut opinor, non amplius diſcedam: quocirca ſi tibi eo libro opus eſt, eo utaris nolo: non ſecus ac ſi tuus eſſet: & ſi quid aliud habeo, quo tibi gratificari poſſim, id obſecro te, à me petere: & tanquam tuo uti, ne uerearis. Quod autem optas ab utroq; noſtrum operam dari, ut amicitia noſtra, & animorum coniunctio indies augeatur, atque, ut tu ais, coaleſcat cum mutuis literis cùm uacabit, tum aſsiduis cõgreſsibus cùm poterimus, ego uerò ita ut faciamus etiam atque etiam cupio: atque ut ſupra dixi, ego, quod ad me attinebit, & ſcribendis literis, & officijs præſtandis amicitiam noſtram ne tantillum quidem minui patiar. Sed uereor mi Cæli ut te tantopere delectet conſuetudo mea, quantopere tu illam tibi & ſuauem, & fructuoſam opinaris: ego enim nec laudes illas, quas tu mihi tribuis, agnoſco, nec quicquam in me eſſe ſentio, quod te tantopere delectare poſſit: ſed tamen quicquid ſum, totus tuus ſum: vale, & me ut facis, ama: & aliquando huc ad nos ueni, cùm poteris: ego quoque cùm licebit, Quintianum me conferam: ut & te uideam, & tuam illam ingentem uerſuum quaſi Iliadem, quam te componere audio: iterũ uale. Virolæ, ad 17. Cal. Octob. 1540.

IO. P. Q. MARCO ANTONIO Mauro Brixienſi.

55 *Cvm tu in patria eam fortunam ſis conſequutus, quæ à nobiliſsimo ciue deſiderari, & obtineri poſsit: optarim, ut hanc animi tui liberalitatem in optimum quemque, & uirtute præditum tantum conferres: ut liberalis, non prodigus, iure dici poſsis: nã ea eſt uerè liberalitas, quæ iudicio, iuſtitia, & æquitate*

tate mensuratur: Quare Iulius Cæsar Augustus, optimus alioqui Imperator, à scriptoribus taxatus, quòd parum prudenter, & minus iustè largitiones, & premia effudisset: & ut in alterum munera conferret, eadem munera prius alteri detraheret: ut primo de officijs testatus est M. Tullius: eius uerba ibi hæc sunt:

Tum ut pro dignitate cuique tribuatur: id enim est iustitiæ fundamentum: & qui alijs nocent, ut in alios liberales sint, in eadem sunt iniustitia, ut si in suã rem aliena conuertant: Sunt autem multi, & quidem cupidi splendoris, & gloriæ, qui eripiunt alijs, quod alijs largiantur: Videndum est igitur ut ea liberalitate vtamur, quæ prosit amicis, noceat nemini. Quare L. Scillæ, & C. Cæsaris pecuniarum translatio à iustis annis ad alienos, non debet liberalis videri: nibil est enim liberale quod non idem sit iustum.

Et secundo de officijs, eius verba hæc sunt.

Ab hoc igitur genere largitionis ut alijs detur, alijs auferatur, aberunt ij qui rempublicam tuebuntur:

Hæc Cicero.

Illud igitur in erogandis diuitijs diligenter considerandum, & obseruandũ, vt optimè tantum meritos liberalitate nostra prosequamur: id si fecerimus, iusti, & liberales iure optimo nuncupabimur: Vide quid maiores tui prestiterint: quam innocentem, & incorruptam uitam peregerint: quam authoritatem in urbe, sola virtute, consequuti fuerint: multa sunt humanissime Maure præclara maiorum tuorum exempla, à quibus, vt à scopo, obseruandum tibi non esse putes. Venetijs, Idibus Octobris. 1556.

IOANNES PLANERIUS QUINTIANUS
Paulo Manutio amicissimo.

SUPERIORI *anno 1557. nonis Octobris, Ioannes Franciscus Quintianus Stoa, conterraneus contemporaneusque meus, et quem pater tuus Aldus unicè dilexit, squinanthia morbo decessit: annum agens septuagesimumtertium: Poeta, & Orator clarissimus eius patria & mea Quintianum, literis, & armis oppidum in agro Brixiensi celeberrimum: is igitur (vt eius vitam tibi breuiter depingam) ab adolescentia sub Ioanne patre, uiro sanè docto & integerrimo, mox Brixiæ sub Ioanne Britannico, uiro doctissimo educatus, deinde Lutetiam Parisiorum profectus, sub eruditissimis utriusque linguę professoribus eruditissimus & ipse euasit: & ibi nonnulla sui ingenij monimenta edidit: mox in Italiam reuersus, Ticinense Gymnasium ingressus, humaniores literas, Plinium præsertim publicè professus est: magno audientium concursu:* 55

& à

& à Ludouico duodecimo Gallorum rege laurea corona donatus: Cœpit tunc Insubria armis ciuilibus ardere: continuò itaque tumultu bellico uexatus Quintianus, publicum interpretandi munus omisit: & ad patriam reuersus, ad scribendum se contulit: Extant multa sui partus monumenta, partim edita, partim edenda: Cæterum opusculum illud de laudibus Venetis heroicis carminibus conscriptum, nondum editum, ut uarium & eruditum, ita gratissimum legentibus futurum existimandum: in quo ipse situm Vrbis Venetæ, Venetasq; familias miro ordine, styloque elegantissimo complexus est: Multa in hoc viro memoratu digna: Christiana pietas sincera: affabilitas obuia: uitę innocentia: modestia: & humanitas singularis: omnibus, quibus potuit, profuit: nulli unquam nocuit: eloquentia tam latina, quàm Italica, tantum ualuit, & excelluit, ut, quod & de Socrate proditum est, suo eloquio secum trahere populos diceretur: Historias omnes tàm sacras, quàm ethnicas optimè calluit: taceo Poetas quos omnes memoriter recitabat: Quantum autem in cognitione situs orbis terrarum, urbiumque omnium excelluerit, testatur uolumen eius maximum, Cosmographia inscriptum, nondum editum: In physiognomia etiam multa nobis essent commemoranda, quæ ipse ex aspectu linearum in corpore humano uaticinatus est: Statura corporis Quintiani procera, erecta; inculpata sanitas: sensus omnes ad mortem etiam ipsam incorrupti: sine uitreis ocularibus à longè prospectus acerrimus: integra, candida, & incorrupta dentium textura: Temperatura totius, sanguinea, ni mirum, si ab ipsa, ut ab optima temperie, mira in facie prodibat hilaritas: Robur, & corporis agilitas: animi uirilitas, & magnanimitas: Vultus ille, alioqui mortalis, ad pietatem, & misericordiam, colore flauo, naturæ bonitate delineatus, & efformatus: Hinc heroica illa maiestas: Sermonis, & incessus grauitas: & uitæ integritas: Quanta uerò fuerit scribendi celeritas, Latinæ linguæ facilitas: historiarum, & rerum omnium copia, farrago, & supellex quædam aurea, testantur innumera ferè eius uolumina, temporis iniuria, & hæredum incuria, & inopia nondum edita: Huic uiro tanta ad mouendos affectus dicendi facultas, tantum eloquij contigit, ut hominum mentes orationis suauitate, & eruditione immotas redderet, stuporeque detineret: in quem unum natura ipsa omnes eloquentiæ uires contulit: Viuit adhuc, uigetque eloquentia eius sacrata scriptis: In parsimonia uerò, laboribus, & uigilijs, propè ferrei corporis, quem nec senectus quidem, quæ frangit omnia, fregerit: qui ultimo uitæ anno multa, multaque scripserit: Ex ultimis Galliæ finibus uenere olim Brixiam viri doctissimi ad uidendum, & cognoscendum Quintianum: Sed & illud omnino non prætereundum, quod & ipsi uidimus, dum Quintianus Patauij esset, & in magna illa æde Sancti Antonij sacris interesset, maximus omnium studentium ad videndum

dendum

[ill]endum Quintianum factus est concursus: atq; ipse ibi ex physiognomia vniuique astanti, ac secum deambulanti, quid felicitatis, vel infelicitatis contigisset, & cui tunc fortuna afflaret, vel reflaret, rectè pronunciauit. Haec ille: & multa alia memoratu digna: Venetijs verò Patricij multi ex Senatorio ordine virum doctissimum, complexi, Patauino Gymnasio praeferendum censuerunt: quam tamen dignitatem senectute praeuentus, & deserere, & reijcere coactus est: Sub hoc felicissimo humanae uitae statu, multos Quintianus uixit annos: Demum senio iam, & aetate affectus, & angina morbo oppressus, sanctissimis sacramentis libentissimè susceptis, vir magnus & memorabilis ad caelū euolauit: & posteris mortalibus immortalem se praestitit: De Quintiani autē laudibus, diffusius nos alibi nostris in epistolis, & libello de uiris patriae nostrae illustribus, disseruimus: Ego certè hominem mihi amicissimum, & conterraneum iam fato functum, de re literaria, & de me optimè meritum pia memoria, multisque lachrymis sum prosequutus: funus eius in patria honorificè conditum: Caeterum ne quis cognominis equiuocatione deceptus, putet me Quintianum Stoam esse, Ioannes Planerius Quintianus dictione una addita, meis in scriptis appellari uolui: Sic enim fiet, ut me alium, diuersumque esse, à Ioanne Francisco Quintiano Stoa, candidus diligensque lector facilè animaduertat: In eadem patria uterque ortus, sed ille longè & ingenio nobis & eruditione maior. Felicissima fuit illa aetas, in qua pater tuus Aldus, Quintianus Stoa, Egnatius, Bembus, Sabellicus, Politianus, Hermolaus Barbarus, Ioannes Picus Mirandulanus unà floruere. Vale mi Paule Manuti Ciceronianae eloquentiae reparator, & imitator optime. Brixiae Idibus Octobris 1558.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISS.
Ioanni Baptistae Aueroldo Brixiano Iureconsulto, & Sancti Nazarij, post Patruum, Praefecto electo, Io. Planerius Quintianus.

SINGVLARIS *tua humanitas, virtus, & probitas, Auerolde doctissime facit, ut de te saepius cogitem, teque uehementius diligam, & obseruem: Accedit ad hoc familiae tuae nobilitas, ex qua, tanquam ex equo Troiano clarißimi semper prodiere uiri: Et ut ueteres praeteream, floruit aetate nostra Altobellus Aueroldus Episcopus Polensis, diuini, humanique Iurisconsultissimus, qui omnes dignitatum gradus apud Leonem X. Pontificem Maximum est consequutus: quem nos Venetijs Clementis VII. Summi Pontificis Oratorem uidimus: quam legationem, & magistratum integritate, innocentia, summa authoritate, miro Vrbis Venetae applausu administrauit: Qui & Bononiae* 57

Bononiæ Legatus sæpius fuit: Patauij sacram, & magnificam ædem ære proprio instaurauit: Fabius etiam patruus tuus Bononiensis Gymnasij Rector magnificus Iureconsultus, & orator illustris extitit: quem nos in Vrbe Brixia in Aede Cathedrali, præsentibus Vrbis Prætoribus, & Cardinali Cornelio publicè orantem uidimus. Hi sunt, humanissime Aueroldе, quorum nomen, et famam nulla unquam delebit, extinguetque mortalitas: horum uestigia & tu rectissime sequutus, ad summam Doctoratus dignitatem euasisti.

Mensibus elapsis nobis allatum est, Xantum Aueroldum Iureconsultum clarissimum mihi amicissimum humanis decessisse: cuius interitus quantum mœroris, & lachrymarum mihi attulerit, non facilè dixerim: o mortem dolendam, o calamitatem detestandam: luget, lugebitque Doctissimum Virum Brixiana iuuentus, cui ille assiduo studio iura ciuilia interpretatus est: Sed à luctu, & mœrore temperandum: quandoquidem ipse meliori uita functus, ad cælestes illas sedes euolauit. Venetijs. 1582.

IOANNIS PLANERII
QVINTIANI BRIXIENSIS
ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS:

Breuis Patriæ ſuæ deſcriptio:

Et Illuſtrium Virorum eiuſdem Patriæ enumeratio:

In qua de animorum immortalitate diſſeritur.



VENETIIS,
Apud Franciſcum Zilettum,
M D LXXXIIII.

A

IOANNIS PLANERII
QVINTIANI BRIXIENSIS
ARTIVM ET MEDICINAE
DOCTORIS:

Breuis Patriae suae descriptio:

Et Illustrium Virorum eiusdem Patriae enumeratio:

In qua de [illegible].



VENETIIS,
Apud Franciscum Zilettum,
M D LXXIIII.

MAG. ET ILLVST. VIRIS, MARCO, IOANNI, HIERONYMO, ET IACOBO, FRATRIBVS FVGGERIS: DOMINIS SVIS.

IOAN. PLANERIVS QVINTIANVS.




QVUM Viennam Austriæ metropolim uenissem: atque ob cœli inclementiam in aduersam ualetudinem cecidissem: satius esse duxi Italiam patriamque repetere: prædiola mea, apricos illos colles, riuosq; prope syluas, uineas manibus meis olim consitas inuisere: ueteres propagare: nouas alias plantare: pyros, frutices uarij generis inserere: fontes, riuulos deriuare: scaturientes saluberrimasque illas aquas potare: atque ita reliquum uitæ meæ agriculturæ, sacris literis, philosophiæ, medicinæ, astronomiæ, mathematicisque contribuere. Quoniam uerò inter amœnissimos, fertilissimosque Cisalpinæ Galliæ campos, Brixianus ager maxime est memorabilis: propterea situm patriæ, uirosque in ea celebres breui hoc opusculo perstrinxi: Vobis uerò uiri Magnifici & Illustrissimi meas has uigilias dicandas existimaui: quoniam Augustana Ciuitas, patria uestra præclarissima, moribus, legibus, institutis, uiuendi ratione, urbanitate, inter alias Germaniæ ciuitates maxime excellit: ut non iniuria, Augusta, hoc est Germaniæ totius princeps, & regina nuncupetur. in qua Principum comitia peraguntur: Familia etiam uestra illustrissima ubique terrarum, atque apud exteras gentes suo splendore, & magnificentia maximè est insignis: satis enim

cōſtat Antonium patrem ueſtrum Virum Clariſſimum ea liberalitate, & pietate eſſe præditum, ut præter pecunias, quas quotidie in egenos erogat, centenas etiam & amplius ædes pulcherrimas pauperibus gratis habitandas exhibeat: quod munus pium, ſanctum, humanum, & memorabile gentibus omnibus exiſtit: Vos etiam uiri humaniſſimi & Illuſtriſſimi paterna ueſtigia ſequuti, ob ſummam ueſtram in omnes benignitatem, & liberalitatem, atq; etiam in optimum quemque, ac uirtute aliqua præditum, prppenſionem ſingularem, ita Principibus omnibus grati eſtis, ut nullus amplius ſit Europæ angulus, ad quem ueſtra, ob uirtutes etiam ueſtras, fama celebris non peruenerit. Vos itaque uiri humaniſsimi meos hos labores eo uultu, & animo ſuſcipietis, quo aliorum etiam minora munera ſuſcipere conſueuiſtis. Viennæ Auſtriæ, menſe Auguſti 1556.

IOANNIS PLANERII QVINTIANI,

BREVIS PATRIAE SVAE DESCRIPTIO: ET ILLVSTR. VIRORVM ENVMERATIO.



ST *in Cisalpina Gallia Quintianum oppidum, uiginti millibus passuum ab vrbe Brixia meridiem uersus, ac propè olium amnem, qui Brixianorum limites à Cremonensibus amœnissimo fluxu discriminat. Seuerona praterea fluuio alio placidissimo, saluberrimoque alluitur. Oppidum enim, nunc etiam suo partu illustre, ex quo, tanquam equo Troiano, clarissimi prodiere viri: nam preter cœli temperiem, ac Soli feracitatem, disciplina certè militari, ac literarum studio, ita semper floruit, ita clarum, celebreque euasit, ut non oppidum, sed urbem uerius esse dicas: ingratus sanè in patriam videri possem, nisi viros aliquot illustres, quos illa genuit, quósque ego uidi, commemorassem: ac nefario, improboque silentio præterijssem.*

Floret igitur hodie, atque in æternum florebit Ioannes ille Franciscus Quintianus Stoa Poeta laureatus, municeps, coætaneusque meus, vir & doctrina, & vitæ integritate insignis, qui olim in florentissimo Ticinensi gymnasio magna audientium admiratione literas humaniores publicè professus est: cuiusque laudes libentissimè nunc percurrerem, nisi eius uolumina iam triginta & amplius ab hinc annis in lucem edita, summam præstantissimi illius uiri eruditionem ostenderent, ac perspicuam omnibus facerent. Extat Epographiarum uolumen maximum, nunc & auctum, & diligentius quàm antea ab ipso authore elaboratum. Extat & Christi seruatoris nostri uita, uario carminum genere expressa. Habet & alia propediem in lucem edenda: cuius eò libentius mentionem facio, quòd non minus de patria, quàm de literis optime meritus sit, & singulari etiam beneuolentia, & charitate meipsum semper prosecutus fuerit.

Est & frater eius Cœlius ingeniorum scrutator acerrimus, quem uniuersa Brixiæ ciuitas arcubus triumphalibus, quos in honorem Cardinali Cornelio erexerat, præfecit: quosque ille ita uarijs eruditisque inscriptionibus insigniuit, & decorauit, ut miro quodam applausu ab omnibus legerentur, atque approbarentur: habet & ipse plurima uolumina edenda. Hi duo filij patrem

Ioannem

Ioannem Sortiti sunt, virum per ea tempora doctum, & integerrimum (deperditæ enim erant tunc Romanæ literæ) à quo tanquam à quodam fonte innumeri ferè discipuli emanarunt; is igitur per sexaginta & amplius annos grammaticam, literasque latinas professus, tantum laboribus, & uigilantia effecit, ut non solum filios, sed & innumeros ferè erudierit, à quo etiam ego puer prima rei literariæ elementa didici: Vir certè omni laude, æternaq; memoria dignus.

Sunt & alij tam in Theologia, quàm in iure ciuili, ac medicina uiri præstantissimi. Frater Stephanus Consortus, Carmelitanus, Lector, Concionator, Prouincialis, sacræque Theologiæ doctor grauissimus: quem senem nos & Patauij, & Venetijs publicè disputantem uidimus.

Hieronymus Consortus Cæsarei, Pontificijque iuris consultissimus.

Frater Stephanus alius Consortus, superioris nepos, Lector & ipse, & sacræ Theologiæ doctor egregius, quem ob singularem eruditionem, Dominicana familia hæreseos inquisitorem, creauit.

Aloysius Consortus eiusdem frater, Iureconsultus hodie Brixiæ celeberrimus, cuius tres filij non minus probitate, quàm doctrina præstantes, magnum de se nomen excitarunt.

Frater Vincentius Patinus Dominicanus, vir & doctrina, & vitæ sanctitate memorabilis, lector subtilissimus, sacræque Theologiæ doctor clarissimus: qui me aliàs Brixiæ in frequentissimo fratrum disputantium consessu, ut & ipse disputarem, excitauit, quique ob singularem eruditionem, sub Paulo III. Pontifice Maximo a patribus ad tractanda orthodoxæ fidei dogmata ad synodum Tridentinam missus est; & qui in pluribus Italiæ disputationibus, & alijs disputantibus præsidebat, & ipse doctissimè disputando omniũ ora in se conuertebat. Vtinam quæ ille scripsit, aliquando in lucem edat, nam subtilissimas quascunque in dialectica, & philosophia quæstiones adeo dilucidauit, ut omnes qui hactenus de his scripserunt, facilè superauerit. In Theologia uerò materias omnes difficillimas ita egregiè, & absolutè pertractauit, ut nullus amplius diffidij, uel controuersiæ locus sit relictus: Iam uerò supremas quascunque gymnasij Bononiensis dignitates adeptus, hodie ob summam doctrinam, & uitæ probitatem Principum Mantuæ domesticus, ac à Secretis est receptus. Vidi ego multa eius uolumina nondum edita, nam commentaria in Posteriora Aristotelis Analytica, & in 8 libros Physicorum, & in libros tres de anima, & in metrum nonum tertij libri de philosophica consolatione diui Seuerini Boethij doctissima conscripsit: Sed & Theologiã sanctissimis lucubrationibus & uigilijs illustrauit.

Ioannes Franciscus Patinus eiusdem frater, olim Ticinensis gymnasij Rector

ctor magnificus Iureconsultus, ac Orator illustris, qui dum à Secretis, ac auditor Marci Cardinalis Cornelij Romæ ageret, & Corneti urbis gubernator effectus esset, iuuenis admodum fato extinctus est.

Alexander Patinus, eorundem frater, maximi vir ingenij, & iudicij, qui Brixiæ in causis tam ciuilibus, quàm criminalibus facilè principatum obtinebat.

Antonius Bifiolius medicus celeberrimus. Baptista Basellus, Maphæus Comes hodie medicinæ doctores.

Frater Iulius Pauesius Dominicanus, Lector facũdissimus, sacræq; Theologiæ doctor clarissimus: hic primum in multis Italiæ urbibus, ut uocant, Prior, mox Prouincialis à Neapolitanis declaratus, quæ suprema dignitas in prouincijs, in quas tota ipsa religio diuiditur, non nisi præstantissimis, probatissimisque uiris demãdari solet, deinde Episcopus Vestensis à Paulo IIII. Pontifice Maximo creatus, mox Suffraganeus, Nuntius, & Vicarius Archiepiscopatus Neapolitano præfectus, ac paucos post menses, Archiepiscopus Surrentinus creatus, ad ultimos Germaniæ Principes à Pio V. Pontifice Maximo Orator missus est. Vt uaticinari de hoc uiro fortasse liceat, hunc ad ulteriores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales peruenturum, quandoquidẽ peregrinæ nationes ob summam uiri doctrinam, probitatem, & dexteritatem, ad hos hactenus gradus certatim ipsum extulerint, ambo à teneris annis sub uno grammaticæ præceptore in patria militauimus, quæ res effecit, ut me ille summo semper amore, & charitate sit prosecutus: Dum hæc scriberem, nobis allatum est, ipsum humanis decessisse, magno & patriæ, & totius reipublicæ Christianæ mærore.

Reuerendissimus frater Seraphinus Caballus, hodie Dominicanæ familiæ Generalis dignissimus: hic Brixiæ ortus, in patria tamen mea educatus, liberalibusque disciplinis instructus.

Sunt & hodie non pauci in eadem Dominicana familia optimæ spei adolescentes, qui in comitijs certatim publiceque disputantes, magnum de se nomen excitarunt, & quos immortalitatis laudem consecuturos speramus: ipsi enim suopte ingenio, meisque adhortationibus & consilijs, in philosophiæ, Theologiæque studia, dies, noctesque incumbunt: quos omnes & uidimus, & publicè disputantes audiuimus: perlongum esset, si quot præclaros cognouimus, recitaremus, uereor etiam ne candido Lectori in his hactenus recensendis molestiam pepererimus.

Iosephus Bardinus amicissimus, familiarissimusque meus, præter utriusq; linguæ peritiam, Dialecticæ etiam studiosissimus: hic iam multis annis in patria literas græcas, & latinas professus, doctissimi ex eius schola prodiere

discipuli,

diſcipuli, quorum alij Dominicanam religionem ingreſſi, alij hodie in urbe Brixia utranque linguam & ipſi ſumma laude profitentur.

Reuerendus Ioannes Petrus Baſileus, doctrina, probitateque clarus, cōmendata in hoc viro uitæ caſtitas, in obiurgandis uitijs ſeueritas, in uiſitandis ægrotantibus humanitas: animarum curator, atque omnium bonarum artium cupidiſſimus: cui ego aliàs & Dialecticam, & Spheram interpretatus ſum, aderant tunc & alij qui me interpretantē frequentes audiebant: Philoſophiam etiam aggredi cogitabam, ni me ſubitus fratris mei Aegidij interitus, ac aduerſa Petri alterius fratris Venetijs ualetudo retardaſſent.

M. Antonius Rubeus, iuuenis hodie præter Latinæ linguæ peritiam, ac morum elegantiam, in Iure etiam ciuili tantum profecit, ut doctrina ætatem longe ſuperarit: is nunc Patauij corona doctorali inſignitus iura ciuilia publicè profitetur.

Iacobus non minus eruditione quàm cognomento maximus: Geometra grammaticusq; inſignis, hic ætate noſtra præter diſtichas & epigrammata, a multa Terentianum etiam in fine mancum, & lacerum ſuis carminibus ipſummet Terentianum imitatus, reſtituit, & abſoluit.

Bartholomeus Theanius, uir omnifariæ eruditionis, ac utriuſque linguæ peritiſſimus, qui hodie Brixiæ inter Rhetoricæ, Poeticæque artis profeſſores primum locum ſibi uendicat: utinam quæ ipſe ſcripſit, quandoque in lucem proferat, nam & Rhetoricam ad Herennium à Cicerone fuiſſe ſcriptam, ualidiſſimis rationibus & argumentis aduerſus antiquitatem libello illo ſuo nondum edito, tueri conatus eſt: Scripſit & doctiſſima commentaria de arte Rhetorica, in quibus ſæpe dormitantem aberrantemque Trapezuntium facilè oſtendit. Scripſit & declamationes, & orationes plurimas: Cæterum funebris illa oratio in qua deflet interitum Matthæi Auogari Clariſſimi Iureconſulti, ita me mouit, ita quorundā pectora emolliuit, ut lachrymas multis audientibus ſæpe excuſſerit: orationem etiam de uoluptate cognitionis elegantiſſimam edidit. Habet & Poemata plurima, Virgilianam grauitatē, & Ouidianam facilitatem redolentia: nam Brixiam à Gallis captam heroicis carminibus conſcriptam edidit. Optarim, ut uir ille in florentiſſimis Italiæ Gymnaſijs publicè profiteretur: Amicitia noſtra, in ſola uirtute poſita, à primis annis, ſub primo grammaticæ præceptore in patria inter nos contracta, ita ſemper coaluit, & adoleuit, ut poſt etiam corporum interitum ſit duratura, quandoquidem animorum immortalitatem, non ſolum ſub uno, & uero Principe Chriſto, ſed & cum Ariſtotele conſtanter ſemper aſſeruimus, quicquid interim delirauerit Pomponatius Mantuanus, qui dum Bononiæ Ariſtotelem publicè profiteretur, quumque in ſenectute morti propinquus

Digreſſio.

eſſet,

esset, moribundus ad amicos astantes cõuersus, nunc inquit amici experiar, an mortalis, uel immortalis sit anima.

Ego tuam Pomponati immortalem, sed perpetuis pœnis damnatam, ex Euangelio, & Aristotele putarim: Euangelij verba Matthæi 10. hæc sunt;

Euãgelij pietas, & summa veritas.

» Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere nõ possunt: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.

Et Lucæ 12.

» Ne tereamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: ostendam autem uobis quem timeatis, timete eum, qui postquàm occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico uobis hunc timete.

Aristotelis uerba, secundo de anima, 21. vbi agit de anima intellectiua, hæc sunt;

Aristotelis cũ Euãgelio cõsensus.

» De intellectu autem & perspectiua potentia, nihil adhuc manifestum est. Sed videtur genus alterum animæ esse, & hoc solum contingere separari, sicut perpetuum à corruptibili.

Tertio de anima. 20.

» Separatus autem est solum hoc quod uerè est, scilicet intellectus, & hoc solum immortale, & perpetuum est.

Duodecimo Methaphisices. 17.

» Si autem aliquid manet posterius perscrutandum est, in quibusdam enim nihil probibet, vt si est anima tale, non omnis, sed intellectus, omne nanque impossibile forsan.

Præterea primo de partibus animalium cap. 1. quærit Aristoteles utrum scientia naturalis consideret de omni anima? & ibi agit de anima intellectiua, & dicit quòd non.

» Quoniam, inquit, non omnis anima principium motus est, & non omnis anima natura est.

» Præterea, inquit, rem nullam à materia abstractam, potest scientia naturalis contemplari.

Si igitur scientia naturalis non considerat de anima intellectiua, & anima etiam intellectiua à materia est abstracta, sequitur ipsam esse æternam, & immortalem, cùm philosophus naturalis nõ consideret nisi formas in materia immersas, & ob id generabiles & corruptibiles. Hanc eandem sententiam babuit Philosophus. 2. de anima 32. vbi dicit, quòd philosophi conside ratio quiditatiua, & quo ad quid est, & non quo ad si est, tantum ascendit usque ad animam rationalem. Themistij verba ibi hæc sunt.

" *Ab hac ad alias subeundum est ordine, ut ita finiendis præstantioribus imperfectiores inferioresque asciscantur, usque dum ad postremam, & nobilissimam ascendamus: ea est rationalis, quæ quanquam ultima ortu est, tamen potestate, & dignitate cognoscitur princeps, illuc progressa natura mortalis receptui canit: nec procedit ultra.*

Item tertio de anima 20. in digressione quam facit Themistius de intellectu cap. 31. Themistij uerba ibi hæc sunt;

" *Sanè qui propositiones credunt, surdissimis esse auribus uidentur, cùm uocem Aristotelis tam contentam illustremq; exaudire non possint: intellectus, inquit, hominis diuinus, & impassibilis est, cuius substantia idem prorsus est, quod actus, isque immortalis, & sempiternus, & separatus est solus. Qui uerò hæc de Deo suspicantur dicta, nonne ipsi quoque incessendi coarguendiq; tarditatis sunt qui uerba philosophi aut non intelligere, aut certè negligere uideantur. &c.*

Item cap. 36. Themistij verba hæc sunt;

" *Separatus ergo, impermixtus, et impatibilis est intellectus potentiæ, quod nos superius Aristotele dixisse, comprobasseque demonstrauimus: non tamen eodem modo separatus, quo intellectus agens.*

Præterea 2. de partibus animalium cap. 10. Aristotelis verba hæc sunt.

" *Et eò amplius, quò non solum viuendi, sed etiam bene viuendi rationem natura eorum obtinuit: quale hominum genus est, quippe quod aut vnum ex omnibus animalibus nobis cognitis diuinitatis particeps sit, aut omnium maximè.*

Quartò de partibus animalium cap. 10. Aristotelis verba hæc sunt;

" *Sed homo vice pedum priorum brachia, & quas manus dicimus, habet: Solus enim animalium omnium erectus est: quoniam eius natura, atq; substantia diuina est, officium autem diuini est intelligere, atque sapere.*

Secundò, de generatione animalium cap. 3. Aristotelis verba hæc sunt;

" *Restat igitur vt mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit: nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.*

Et paulo post;

" *Corpus autem genituræ, in quo semen animalis principij contentum vnà prouenit, partim separabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis est, quæ mens appellatur: partim inseparabile.*

Quid & in Aristotele & in Themistio clarius, et apertius? In libro etiam de carnibus Hippocratis verba hæc sunt;

" *Et videtur sanè mihi id quod calidum uocamus immortale esse, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tũ futura.*

Dixit

Dixit aũt Hippocrates, id quod calidum vocamus: propterea q́ apud Hippocratem idem est anima, natura humani corporis, & calor naturalis. Sed apud Aristotelem & Galenum, calor naturalis est animæ instrumentum. Vide Gal. 1. aphor. 15.

Hæc attigisse volui, ut constanter teneat posteritas animas nostras à Deo creatas, non solum in specie, vt Simplicius, & Auerroes, sed & in indiuiduis, & æternas & immortales esse: vt rectissimè Plato, Aristoteles, Maro, Dantes, Thomas, & M. Tullius sensere. Sed vnde digressi sumus, reuertamur. Vide Arist. 3. de partib. c. 7 & 2. de anima. 50. Peroratio Anima intellectiua æterna, & immortalis.

Non alienum ab instituta serie fuerit: si patrem, ac fratrem etiam nostrum enumerauerimus. Continuatio.

Ludouicus Planerius pater meus, vir integritate, probitateque clarus: cuius ea fuit inreprehendendis vitijs seueritas, ea vitæ innocẽtia, vt Catonem alterum Censorium, vel Portium fuisse dicas. Is me à pueritia, in Christiana pietate, in sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ institutione, optimis moribus sanctissimè educauit: Liberalibusq́; artibus & disciplinis erudiendum curauit. Cui certè post Deum ipsum, ex Platonis sententia, me plurimum debere semper fatebor. Adolescens admodum magno animi mœrore ipsum amisi, cuius interitum multis lachrymis deploraui, deplorabant & alij hominis innocentiam, probitatem, integritatem. Patris authoris la. Interitus patris authoris deploratio.

Auxit calamitates nostras pestis ipsa, quæ insequentem annum, quo patrem amiseram, uniuersam fermè Italiam peruaserat: tum matrem etiam peste correptam amisi, supellex tota furto, rapina, flamma consumpta. Cœpit æstate pestis, incruduit in Autumno: præcesserat rerum omnium penuria, & diuturnæ in feruentissima æstate pluuiæ aerem primo, mox animantium, & uiuentium omnium corpora corruperant: hinc fœda tabes statim secuta: primùm febres continuæ, mox ardentes papulæ, tum contactus ægrotantium, & domestica circa eosdem ministeria vulgabant morbos: & neglecti, desertique à propinquis metu, nullis adiuti auxilijs passim moriebantur: tum quotidiana funera, & mors omnibus obuia. Sed & ægrotantibus assidentes, cibum, & potum propinantes, eadem vi morbi correpti, unà cum ijs interibant. Vndique dies, noctesq́ue ploratus audiebantur: demum ita assuetudine pestis efferauerant animos, ut nulli amplius assidentium audirentur luctus: atque etiam propè funera ipsa fœtentia cibum, potum, & somnum capiebant. Pestis descriptio 1529. Pestilẽtiæ causæ.

Efferebantur autem cadauera nullo insequentium ploratu, neque in propria cuiusque sepulchra, sed in patentes terræ foueas promiscuè, aceruatimque deuoluta, nulla, uel tenui admodum terra contecta, tetrum fœtidumque odorem spirantia, cœlum ipsum, genusque omne animantium, terrestrium, ac uolatilium halitu pestifero inficientia. Et cùm libitinarij ad sepeliendum non

sufficerent, iacebant strata, & inhumata funera in conspectu & morientium, & mortem similem expectantium, tetrum lugubreque spectaculum: passim cadauera oculis obuoluta: fuere qui in proprijs ædibus suorum sepeliere corpora.

Visæ sunt & columbæ, hirundines, in altum euolantes, putredinem, fœtoremq; fugientes, ipsis sub nubibus expirasse: & in terrā paulo post demortuæ cecidisse. Sed & armenta, tauri præsertim, sub aratro, edito mugitu, procubuere. Stabat & sonipes non amplius spumantia fræna mandens, nullis hinnitibus exultans, concepto in corde ueneno, corruit. Canes in rabiem acti, nullis latratibus, in dominos irruebant. Oues ipsæ animantium omnium mitissimæ, & utilissimæ, lacte uberibus tabe consumpto, medijs in pascuis interibant. Pastor lanas illuuie, lueque infectas, flammis exurebat.

Corrupit tabes illa fluuios, puteos, saluberrimosq; fontes: ut qui prius ægrotantibus salutem, mox tabe infecti, interitum, aquas bibentibus afferrent.

Præceptoris authoris laus, & interitus. *Pestilentiam eam insignem fecit mors quàm matura, tàm acerba Ioannis Gandiniensis, præceptoris mei amantissimi, & senerissimi, qui patriam liberalibus artibus instruxit: qui me Latinæ linguæ principia, et fundamenta edocuit: ex cuius schola, tanquam è nido, tot præclara ingenia, tot sacrarum literarum interpretes, tot concionatores, ad ultimas orbis terras, ad fortunatas insulas euolarunt.*

Exageratio. *Hæc est funestissima, & memorabilis illa clades, quæ olim Athenienses, ut tradit Thucydides, profligauit: hæc eadem, quæ toties vrbem Romam, ut scribit Liuius, multis ciuibus exhausit, innumerabilesque familias lugubres reddidit: hæc eadem, quam Lucretius in sexto, Ouidius in septimo, Virgilius* 7. Metam. *in Georgicorum, & Aeneidos tertio, elegantissimè cecinit: hæc eadem, quam Boccatius in historijs felicissimè expressit: hæc eadem toties nostris temporibus* 1512. *uniuersam fermè Italiam, Venetias præsertim, & Brixiam miserabili* 1529. *modo afflixit: hæ duæ Vrbes ita recenti peste. 1576. & 77. attritę exhau-* 1556. *stęque habitatoribus sunt: ut destitutæ penitus ab humano cultu uiderentur.* 1576. & 77. *nullus in his accedentium, aut recedentium aspectus, passim horrida, & insolita solitudo: Venetijs cadauera cadaueribus cumulata subiecta calce in littore maris comburebantur: nondum mortui cum mortuis (nec uaria loquor) ab efferatis libitinarijs in fossas deuoluebantur.*

Vide quid afferat bellum. *Arserat etiam antea armorum tumultu Italia, deuastata patria, eiecti è proprijs ædibus miserrimi, infelicissimique parentes, atq; aliò migrare coacti, paterna domus armatis militibus obsessa, bona omnia furore, rabieque militum consumpta, & distracta.*

Brixiæ ca *Superioribus etiam temporibus 1512. Vrbs Brixia à Gallis capta, senio*

 res

.. omnes, qui in Curiam, & in templa confugerant, & qui ferre arma poterant, ab irato, & superbo uictore trucidati: post seniorum cedem, nulli deinde mortalium parci, nullum discrimen ætatis, aut sexus hostium ira fecerat. Sanctissimæ religiones uiolatæ, Vestales uirgines constupratæ, Diuorum immortalium templa expilata: Sacra omnia prophanata, tribus diebus continuis vrbs direpta, præda ingens facta, bibliothecæ omnes flamma absumptæ, captiui partim in uincula coniecti, partim abducti, partim à crudelissimo hoste iugulati: nullum genus supplicii, impietatis, & flagitij prætermissum. Aderat tunc in Gallorum exercitu Iudæorum legio impia. Iacobus Morescus, gregarius miles, captiuus, infelix à Iudæis militibus (nec uana loquor) uiuus ignita candentique crate ferrea, eo supplicio, quo et diuus Laurentius, fuit torrefactus: Alij (horret animus) ut proprijs carnibus torrefactis uescerentur, sunt coacti. Alij uarijs cruciatibus affecti: Alij (proh scelus) in terram uiui adhuc sunt defossi. Hæc à Iudæis (ut dixi) non a Gallis sunt perpetrata: abductæ, & constupratæ innumerabiles uirgines. Superiore anno eiecti fuerant ex urbe Iudæi, propterea iniurias sibi illatas ulti sunt. Tunc etiam exercitus Venetus Brixiæ à Gallis cæsus, Andreas Grittus captiuus in Galliam abductus: Sexdecim hominum millia cæsa, Videas alios interfectos, alios saucios, natabant pauimenta cruore, uiæ omnes riuis sanguineis irrigatæ, passim strages, & cæsorum cumuli, cadauera plaustris extra urbem in fossas aceruatim deuoluta triduum in sepeliendis cadaueribus consumptum. ptiuitas. 1512. 19. die Febr.

Extendit se belli illa calamitas ad trigesimum usque, supra millesimum, & quingentesimum salutis annum, ita ut hostibus undique concursantibus respirare nobis ab illa clade nunquam sit datum.

Cæterum satis ærumnarum passi uidebamur, nisi & cœli fragor, & nimbus multa, magnaque grandine mixtus, conglobantibus se se ac glomerantibus per aera uentis, sata omnia, fruges, & uineas ipsas contriuisset, robora, arboresque omnes fructiferas conuulsisset: tum uerò crebris fulminibus coniurasse in nos, ac conspirasse cœlum ipsum, & astra sunt uisa, Planetarum, siderumque omnium influxus minari nobis mortem, tum omnibus uijs & tectis mulierum, & puerorum comploratus, pauperum lamentationes passim audiri, matres puellos ad pectora comprimentes, ungæ, palantes, passis crinibus, lachrymis, singultibus, & clamoribus, uias, tecta, & templa omnia compleuere. Secuta postmodum summa annonæ caritas, panis furfuraceus publicè uenditus. Fœdæ tempestatis calamitas, & ruina.

Illud triste, & lachrymabile exemplum: Christophorus Pauesius, amicissimus, familiarissimusque meus, pictor eximius: dum summum turris apicem pingit, infelix fulmine ictus, præceps corruit: quem exanimatum, confractum

totum,

totum, ac combustum, his oculis conspeximus: eius funus multis lachrimis funebri pompa prosecuti sumus: multos alios, ob eorum uirtutem, & probitatem mihi amicißimos, pestilentia illa, & bello extinctos, amisimus.

Sacrosanctæ penes authorē reliquiæ. *Ex tanta autem malorum congerie, & Iliade, nihil mihi reliquum fortuna fecit, præter Sacrosanctas quasdam reliquias, quas olim Petrus frater meus ex Hierosolymis ad patrem detulerat: delatas pius pater effusis lachrymis est exosculatus. Habeo enim domi fragmentum paruum columnæ marmoreæ, ad quam Christus seruator noster fuit deligatus: habeo & ramentum magnum oliuæ montis Oliueti, ubi Christus futuram Iudæorum cladem deplorauit. habeo & amygdalas nonnullas ex orto, in quo Christus orauit, ex arbore decerptas: non minori etiam religione custodiuntur lapides, ubi Christus matrem dulcissimam complexus, uterque in terram cecidit: Locus ille hodie Sancta Maria Spasmi nūcupatur. Est & frustum magnum portæ templi Solomonis. Sunt & lapides, ubi crudelißimus Herodes innocentißimos puerulos à partu adhuc calentes, & ab ipsis uberibus raptos, impijs satellitibus trucidandos imperarat, uoxque in Rhama audita est, ploratus, & ululatus. Sunt & rosæ ex Ierico appellatæ, pluribus linteaminibus sericis, uariè distinctis inuolutæ. Maiori etiam custodia seruantur lapides ex Monte Caluario collecti, ubi Christus in crucem eleuatus, ad patrem emisit spiritum, tuncque tenebræ factæ sunt super uniuersam terram, & terræ motus ita magnus factus est, ut multas urbes Asiæ prostrauerit: mare fluminibus inuexerit: de quo terremotu meminit fortasse & Plinius secundo naturalis historiæ cap. 84. cuius uerba hæc sunt;*

" *Maximus terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberij Cæsaris prin-*
" *cipatu, duodecim urbibus Asiæ una nocte prostratis.*

Hæc & multa alia domi meæ ad laudem, & honorem Dei piè conseruantur. Sed ad institutum nostrum reuertamur.

Continuatio. *Petrus Planerius frater meus, ob summam dexteritatem, & probitatem, ac utriusque linguæ peritiam, Serenißimi Venetorum Principis domesticus, ac scriptor egregius: ipse adolescens in Cretam, in Cyprum, mox Alexandriā Aegypti, ac Hierosolymam urbem, Christi olim humani generis redemptoris alumnam profectus, ibique sex menses commoratus, pia illa loca, & templa diligentißime perlustrauit, sanctißimas reliquias collegit, dum autem in Cretam reuerti parat, reluctante uento, ac subita maris tempestate oppressus, primùm in Rhodum insulam, mox in maris etiam Aegei insulas delatus, tandem Venetias incolumis reuersus, perpetua Venetorum Principum serie in Curia summa cum laude, et integritate hodie agit. Vir & de patria, & de humana societate optime meritus.*

Fami-

Familia hæc nostra Planeria Romæ olim celebris, in colonias uarias deducta, Quintiano familiæ Duce in Brixianū agrum profecta, Quintiani oppidi fundamenta princeps erexit: quod ex ędificijs antiquißimis publicis & priuatis facilè deprehenditur: nam & delubra uetustate iam corruentia, & marmora ipsa nostris insignibus sunt decorata, sunt adhuc extra oppidum templa nonnulla antiquitus profana, nunc sacra. Est ad Oriētem uetustißima plebea ædes, in qua marmoreæ, uastæ magnitudinis columnæ, quas olim uesana stolidaque antiquitas Apollini, idolisque diabolicis erexerat: nunc ædes ipsa Virginis puerperio instaurata. Sunt & ad Occidentem aliæ duæ ędes sacræ, quarum altera, ob uetustatem, cùm nihil præter cariem, rudera, & fundamenta habeat: de ea nihil mihi scribendum, olim Veneri, et Vestalibus, nūc diuo Thomæ consecrata. Altera est Aedes, ob recentia, & magnifica ędificia memorabilis, Diuæ Mariæ Virgini erecta, olim à Beato Amadeo Hispano ædificari cœpta, in ea pauperrimi Amadæi sacris operantur. In medio oppidi Cathedralis sedet ædes, in qua Sacratißimum Christi corpus piè custoditur: Diuis Faustino, & Ionitæ dicata.

Familiæ authoris origo.

Est adhuc Romæ familia Planeria, cuius olim dux Quintianus: is post cōditum oppidum, Romam reuersus, monumentum hoc, quod etiamnum in æde sanctæ Crucis uisitur, parentibus, & sibi condidit.

Attiæ quintæ Tattius Plegon coniugi optimè & Tattius. T. »
F. Pla. Quintianus Roma parentibus indulgentißimis. »

Claruit & alius eruditione Quintianus, Romæ Domitiani Cæsaris principatu, quem Martialis Vates assertorem suorum carminum elegantißime libro primo sic cecinit;

Commendo tibi Quintiane nostros »
Nostros dicere si tamen libellos »
Possum quos recitat tuus poeta: »
Si de seruitio graui queruntur. »
Assertor uenias: satisque præstes: »
Et cùm se dominum uocabit ille »
Dicas esse meos: manuque missos: »
Hoc si terque quaterque clamitabis: »
Impones plagiario pudorem. »

Ad eundem Quintianum libro quinto;

Quod tibi Decembri mense quo uolant mappæ: »
Gracilesque ligulæ cereique Charthæque: »
Et acuta senibus testa cum damascenis: »
Præter libellos uernulas nihil misi: »

Fortasse

„ *Fortaſſe auarus uidear, aut inhumanus.*
„ *Odi doloſas munerum, & malas artes:*
„ *Imitantur hamos dona, nanque quis neſcit?*
„ *Auidum uorata decipi ſcarum muſca?*
„ *Quoties amico diuiti nihil donat.*
„ *O Quintiane liberalis eſt pauper.*

Eſt & in Aquitania Gallia, Auernorum Vrbs præclara, Claramont vulgo dicta, in qua diui Quintiani eius urbis olim Epiſcopi corpus miraculis adhuc clarum conſpicitur, & à noſtro etiam Ioãne Frãciſco Quintiano Stoa uiſum, eiusque uita ab ipſo luculenter ſcripta, quam nos in Quintiani ſcriptis uidimus. Sed redeat unde aberrauit oratio.

Continuatio. *Ioannes Baptiſta Planerius, Brixiæ olim Canonicus, atque Archidiaconus, eius frater Marcus, Rotæ olim auditor, quæ ſuprema dignitas Romæ non niſi excellentiſſimis Iureconſultis conceditur. Cornelius Planerius, hodie artium & medicinæ doctor eximius. Reuerendus Gabriel Planerius agnatus, amiciſſimusque meus, ob eius eruditionem, & probitatem, olim Marcelli ſecundi, Pontificis Maximi, & Pij etiam quinti ſummi optimique Pontificis à Secretis agebat.*

Hic erat candide Lector, Pontifex ille maximus, cuius liberalitate literarum ſtudia, ac bonas omnes artes priſtinum candorem recepturas expectabamus: ut qui prius ab uniuerſo Cardinalium cœtu pius fuit appellatus, mox etiam pium re ipſa ſeipſum præſtitit: nam Maximiliano Cæſari pia arma aduerſus Turcam hoſtem infeſtiſſimum induenti, maximis ſuis ſumptibus eſt auxiliatus, quod munus pium, ſanctum, & memorabile Chriſtianis omnibus Principibus extitit. Superioribus etiam annis Equitibus Hieroſolymitanis pro Melita inſula aduerſus Turcam fortiter pugnantibus opem adtulit. Age uerò ob fluctuãtem propter ciuile bellum Galliam Regi Chriſtianiſſimo Pius Pontifex uniuerſum Eccleſiæ prouentum effudit: Romanumque ærarium pro Chriſtianæ pietatis defenſione contra Turcam exhauſit Illuſtriſſimo enim Senatui veneto aduerſus Turcam claſſem paranti multis triremibus auxilium attulit. Vrbem Romam uitæ ſanctitate, innocentia, ſanctiſſimis inſtitutionibus, & legibus inſtruxit, Literatos omnes ad ſummos honores euexit. Virtus tunc & probitas ſub Principe Pio reuireſcere, atque efflorеſcere cœpit. Dum hæc ſcriberem, nobis allatum eſt ipſum humanis deceſſiſſe: cui ſucceſſit Gregorius XIII. Pontifex optimus Maximus, qui maiore etiam belli apparatu Turcam opprimere contendit: faxit Deus ut optimus hic Paſtor longiorem protrahat uitam, ac Neſtoreos ſuperet annos. Sed redeat vnde digreſſa eſt oratio.

Continuatio.

Paren-

Parentibus autem meis, vt dixi, fato functis. Ego adolescens admodum, rerum humanarum parum adhuc peritus; Venetias tunc sum profectus: ibi sub Ioanne Baptista Egnatio, Viro doctissimo, Literas humaniores publicè profitente, aliquot annos militauimus, mox Philosophiæ studio capti, primum nos ad eam contulimus, atque ita in florentissimo totius Italiæ Patauino Gymnasio, sub M. Antonio Ianuense, Vincentio Madio, philosophis eruditissimis, Francisco Frizimelica, Benedicto Fauentino, Ioanne Baptista Montano, Medicis excellentissimis, philosophiæ, medicinæque studijs incubuimus: tribusque diebus continuis Patauij conclusiones nostras (absit iactantiæ suspicio) publicè disputauimus: restante interim mihi semper fortuna, ac demum Patauij corona Doctoratus insigniti, In Italia primum, Venetijs præsertim, mox in Vngaria apud Principes aliquot annos medicam artem sincerè candideque exercuimus: nunc 1570. ætatis nostræ 61. in patriam reuersi, aduersitatibus oppressi, non opes, non diuitias, non popularem auram, non quod utile, sed honestum, & laudabile secuti, medicinæ praxim reiecimus: & in sacrarum literarum studio conquieuimus. Deum semper laudantes, & benedicentes. Sed ad institutam narrationem reuertamur. Authoris vita.

Quantum verò militaris disciplinæ studio; ac bellicis artibus oppidum illud nũc floreat: atq; olim magis floruerit: id oĩbus notissimum esse existimamus: Illud enim memoriæ proditum est Gabrielem Rubeum impigrum militem, sub Ferdinando Regni Neapolitani Rege, ita se gessisse, ita strenuam nauasse operam, ut ab omnibus totius exercitus Dux, Imperatorque haberetur: cuius laude, & gloria accensa posteritas non alio magis, quàm armorum studio detenta est: Ioannes Franciscus Rubeus, & Christophorus eius frater, & eorum filij: Iacobus Pedrettus & eius filij: M. Marinus Equites Cathaphracti, Robora uirorum, equitum, peditumq; duces: et qui hostem ferociter, & superbè patriam inuadentem, & populantem singulari certamine superarunt: Hos & alios Senatus Venetus bello, & pace stipendijs aluit, & alia: Hieronymus Sgaruga in Veneta classe triremium præfectus, Corcyræ hodie magnò militum luctu perijt. Continuatio.

Sunt & qui negocijs, & mercaturæ intenti, opulentiores effecti sint: quorum hodie princeps Bartholus Iannolius, negociator solertissimus: is peragratis aliquot Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Angliæque urbibus: ac multis præterea nauigationibus in Syriam felicissimè peractis, nunc Antuerpiæ inter negociatores summa fide, & probitate diues agit.

Hos commemorasse uolui: ut si fortè hæc patriæ meæ descriptio in municipes meos inciderit, à maioribus non degenerandum, & eorum uestigijs sibi putent insistendum.

Appendix Authoris.

Peruasit & nunc 1590. uniuersam Italiam teterrima, et dira fames: tritici mensura (Soma uulgo) duodenis nummis aureis ueneditur: furfure, radicibusq; contusis, in placentas subactis uulgo uiuitur: Auxit calamitatem hanc Turca hostis infestissimus: qui Venetis bellum indixit: & qui rem frumentariam Italiæ probibuit: nam antea plurimum frumenti ex Peloponeso, & ex Asia ad nos aduehebatur.

7. Octob. 1571. *Cæterum post multas Europæ calamitates: Illuxit tandem felicissimus ille dies, in quo Christiana classis ad Naupactum sinum supra Peloponesum cum Turca hoste immanissimo fortiter dimicans Dei auxilio uictrix extitit: qua in pugna uniuersa Maumethana classis fusa, fugataque est: Cecidere ex nostris septem millia: plures tamen ex barbara illa Turcarum colluuie: scilicet. xx. millia: Piratæ enim fermè erant omnes: Bassanus classis Dux obtruncatus: quinque millia ex nobilibus capti: reliqui in mare deiecti: libertas decem millibus captiuis restituta. Pugnatum est utrinque quattuor fermè horas, magno animorum ardore: deuicta tandem superataque hostium classe, Peloponesum insulam nostri oppugnare contendunt: Præfuit Christianæ classi ex Venetis Clarissimus Sebastianus Venerius: Ex Hispania Illustrissimus Ioannes Austrius: Ex Liguria, Andreas Dorius: Ex Romanis, M. Antonius Columnius. Superiori mense Cyprus insula (proh dolor) à Turcis capta, & deuastata.*

Candido Lectori.

Addidimus multa, progressu ætatis, nostris temporibus, uisa: qualis fuit pestis illa, post hominum memoriam, omnium teterrima, ultimò à nobis scripta: qua in terris nulla maior, aut pernitiosior unquam fuit: tu itaque Candide lector boni consule, si diuersis temporibus, diuersa etiam scripsimus: ac ueluti historiam quandam contexuimus.

FELICISSIMI ADVENTVS HENRICI GALLIARVM, ET POLONIAE REGIS CHRISTIANISS. ET AVGVSTISSIMI AD VRBEM VENETAM

Breuissima, ac facillima Descriptio: Et rerum memorabilium, quæ factæ sunt, commemoratio.

Authore Ioanne Planerio Quintiano Brixiensi artium, & medicinæ Doctore.

Ad Illustrissimum Sfortiam Pallauicinum vniuersi exercitus Illustriss. Senatus Veneti Imperatorem optimum.



DEFVNCTO Carolo Gallorum Rege: Henricus III. Caroli frater, Sarmatiæ, seu Poloniæ, Rex Serenißimus à matre, et à Senatu Parisiensi, ad successionẽ, & defensionem Regni Galliarum aduocatur: Tunc Henricus Rex piißimus, ut patriæ ciuili bello laboranti opem ferret, ex Polonia recedit: magnis itineribus Viennam primum contendit: mox à Venetis per literas sibi dari ad Vrbem Venetam aduentum, & transitum in Galliam petit: Tunc Veneti, missis obuiam quattuor Oratoribus, Regi significant: eius quidem aduentum, & transitum sibi gratissimum, & optatissimum fore. Atque ita, ex Senatus decreto in omnibus urbibus, & oppidis maximus ad Regis aduentum fit apparatus: commeatus undique lautißimus præparatur: uiæ omnes faciliores redduntur: flumina etiam rapidißima pontibus ligneis latißimis iunguntur: urbium Prætoribus obuiam prodeuntibus, Regem alacriter excipientibus: nihil ad Regis uoluntatem prætermissum est.

Demum aduentante ad Vrbem Venetam Rege 17. die Iulij 1574. septuaginta clarißimi Senatores uestibus sericis, & purpureis induti, gratulabundi ad Margeram uicum uenienti Regi obuiam prodeunt: magna alacritate ipsum excipiunt: exceptum ad Vrbem Muranam, Cimbis, (genus est nauigij paruũ et expeditum) pannis auratis, & sericis coopertis, ad ædes Capellas,

aliàs Lippamanas deducunt: Horum omnium Princeps aureo pallio insignis extitit Ioannes Corrarius, Senator, & nuper ex legatione Cæsarea orator Clarißimus. Prodiere obuiam Regi in medijs aquis, quadraginta patritij sanguinis nobilißimi Iuuenes, Cimbis, pannis sericis ditißimis coopertis, lunato agmine certatim mira alacritate Regem in medium excipientes: mox adstabant ipsi ex Venetorum Oratorum admonitione Regi seruientes, uestibus sericis, Romano habitu ad pedes demißis. Adstabant & septuaginta armati pedites habitu, & armis, insignibus Regijs ornati. Hic à principum omnium oratoribus Rex salutatur: Et cœna illa lautissima, & splendidißima musicis quinquaginta peritißimis, uarijs instrumentis, non humano, sed cælesti concentu, & harmonia decantata.

Postero die pijßimus Rex summo mane in Ecclesia ornatißima sacrarum monialium Angelorum Missam Sacram audit: à prandio autem eodem die Serenißimus Princeps, & uniuersus Senatus quindecim triremibus, & multis alijs omnium artium nauigijs ornatißimis numero tercentum, ad Vrbem Muranam Regem adeunt: in Sexremem Imperatoriam Superantiam ipsum excipiunt. Ad diui Nicolai fanum in Littus maris deducunt: Claßis huius præfectus fuit Clarißimus Antonius Canalis rei maritimæ peritißimus: Is igitur quadrato agmine nauali classem progredi imperat: Sexremem Regiam in medium, ut in sinum, collocat: reliqua omnia nauigia à fronte, à tergo, & à lateribus ordinat: Classe hoc ordine tam probè instructa, adductus est ad Littus maris Christianißimus Rex. Hic arcus triumphalis miræ magnitudinis, & altitudinis, columnis octo marmoreis fictitijs, & portis tribus erectus: per quem ad porticum maximam fit transitus: Et porticus etiã ipsa (vulgo loggia) decem columnis marmoreis fictitijs erecta: fornicibus miro artificio interse coeuntibus: Et hæc ab Andrea Palladio Architecto excellẽtisimo opere Corinthio artificiosissimè cõstructa. Huic apparatui præfuere ex Senatus decreto Clarissimi uiri, Aloysius Mocenicus, & Iacobus Contarenus, Patritij usu rerum humanarum, & studijs literarum nobilisimi, & illustrisimi: ab ipsis igitur in frontispicio arcus extrinseco hoc elogium inscriptum.

Henrico III. Franciæ, atque Poloniæ Regi Christianissimo, & inuictissimo Christianæ religionis acerrimo propugnatori aduenienti Venetorum Respub. ad ueteris beneuolentiæ, atq; obseruantiæ declarationem.

In frontispicio autem intrinseco hoc aliud elogium ab eisdem inscriptum.

Hen-

Henrico III. Franciæ, & Poloniæ Regi optimo, atque fortissimo, hospiti incomparabili Venetorum Respub. ob eius aduentum feliciſſimum.

In eodem arcu uariæ, & pulcherrimæ imagines uaria significantes depictæ erant: Ibi enim uictoriæ duæ, ad Iarnacum, & ad Moncontornum: Poloniam Henricum uenientem, Regem coronantem, Eandem ipsum abeuntem deplorantem: Galliam exultantem, Henricum suum redeuntem amplexantem, coronantem: Pacem arma extinguentem uideres. In porticus Lateribus uirtutes morales in Henrico repertæ depictæ erant: In summitate, & fornice porticus Trophæa ob duas uictorias à Rege olim in Gallia ex hoste partas artificiosissimè depicta: nam uictoriæ illæ duæ alatæ, uirginali humana effigie palmas, & duæ coronas ferentes ob duas uictorias, & duo Regna Henricum uenientem ex pugna uictorem coronare uelle uidebantur. In fronte porticus erectum Altare erat: in ambitu altaris rerum omnium copia, felicitas, Pietas, & Religio depictæ erant. Deducto itaque semper sub umbella Rege à Clarissimis sex Sancti Marci Procuratoribus umbellam deferentibus ad sacrum Altare deuentum est: in quo sanctissima effigies Seruatoris nostri IESV CHRISTI *crucifixi depicta erat: Tunc Rex Christianissimus, et pijssimus: Serenissimus Princeps, et uniuersus Senatus genibus flexis Deo immortali ob felicem, & incolumem Regis aduentum gratias agunt. Et à Reuerendissimo Patriarcha Veneto, & à Clero precationes istæ, & aliæ decantatæ sunt.*

Elegit eum Dominus: & Excelsum fecit illum præ Regibus terræ: glorificauit eum in conspectu Regum, & non confundetur.

Peractis precationibus, Serenissimus Princeps, & uniuersus Senatorius ordo in magnum, auratamque nauim Bucentaurum Regem excipiunt: Ad ædes Foscaras deducunt: passim tympanis, tubis, buccinis, tibijs, magno campanarum omnium sonitu, continuis tonitribus tormentis bellicis editis, urbs tota contremit. Cepit tunc Rex admirari grauissimum Senatum tam pium, tam humanum, Reip. Venetæ mirum temperamentum: Admirabatur & frequentiam omnium mortalium in uijs, fenestris, podijs, & tectis omnibus existentium: Regem & ipsis mortalibus uicissim admirantibus: Admirabatur etiam Rex ad fenestras magnam illam auratam nauim Bucentaurum in media classe summa maiestate ab ædibus Foscaris recedentem: Principem,

cipem, & Senatum Sanctisſimum deferentem.

Domus Foſcaræ deſcriptio. *Domus hæc Foſcara marmorea, in canalis ripa ad cælum erecta: magnitudine, & ornatu pulcherrima, & augusta. nam cum primùm ingrederis: parietes ipſi tapetibus altis, & auratis corijs, fornices colore ceruleo, & auratis lucentibus ſtellis tibi ſtatim occurrunt: Cubicula, & ſedilia puriſsimo fulgent auro: Lecti linteis ſubtiliſsimis, & candidiſsimis, & ſtratis ſericis ornatiſsimi: Pauimenta ita lucida, ut non aliter in ijs, quàm in Speculo & intueri te, & contemplari credas: Todijs altis marmoreis ſubiectam totam Vrbem undique ſpeculantibus: Ab oriente, & occidente cælo ſaluberrimo perflata: nec Boreas, aut Auſter illi infeſtus: Domus certè digna Rege: nullus accedentium, aut recedentium tumultus: omnibus patet aditus: Ita ut Rex etiam ipſe ab omnibus ſe conſpici ſit paſſus: Mira in Rege humanitas, religio, modeſtia, affabilitas, Liberalitas, vt verè Regem Chriſtianiſsimum appellare poſsis: Corporis habitudo procera, erecta, annorum vigintitrium. Admirabatur Rex has ędes Foſcaras: Et tam multa, & præclara ædificia, paſſim oculis occurſantia in medijs aquis tam feliciter, & magnificè in altum extructa: Frequentia etiam nauigia commeatum undique, & omnia ad humanum victum, & uſum neceſſaria deuehentia: Venetam vrbem omnibus commoditatibus affluentem, & ornatiſsimam reddentia. Quid? Si ipſe Rex cognouiſſet florentiſsimam hanc urbem Venetã mille, & amplius annos cõtinua temporum ſerie ad hanc vſque ætatem, ſanctiſsimam Religionem, Chriſtianam pietatem, Sacroſanctam Romanam Eccleſiam, Perpetuam libertatem à maioribus traditam, inuiolatam, & incorruptam retinuiſſe? Vt nulla alia hodie in orbe terrarum Ciuitas ſit, præter hanc, quæ duram ſeruitutem, depopulationem, non ſemel, atque iterum, ſed ſæpius, non ſit perpeſſa: Sola igitur hæc, Dei Optimi Maximi prouidentia, in libertate, & ſtatu ſuo quietiſsimo cuſtodita eſt, & conſeruata. Et hanc eandem urbem à Chriſtianis uiris conditam (Anno ſalutis noſtræ 421. 25. die Martij: Alberto Faliero, & Thoma Candiano Conſulibus) Dei ſemper cultum, iuſtitiam, æquitatem: in uictu, & ueſtitu modeſtiam, & honeſtatem obſeruaſſe, & detinuiſſe? & multis exteris nationibus leges, & inſtituta exhibuiſſe. Illud omnino non prætereundum, quod & ſacræ teſtantur literæ, primum humani generis parentem Adamum eodem ſuperiori die 25. Martij à Deo optimo Maximo formatum, & ipſum Dei filium in Virginis utero conceptum, & à perfidis Iudæis cruci affixum: eodem die prima urbis Venetæ iacta fuiſſe fundamenta teſtantur rerum geſtarum ſcriptores. Quoniam autem Vrbs hæc Veneta à Chriſtianis viris condita, Chriſtiana etiam orta, propterea Venetum imperium cum mundo duraturum ſperandum, & à nobis maximè optandum. Sed unde digreſsi*

Henrici Regis laus. Vrbis Venetæ laus

Vrbis Venetæ primordia.

gressi sumus, reuertamur.

Deducto itaque ad aedes Foscaras, ut diximus, à Senatu Rege, sequenti die in magno canali innumerabilibus Cimbis, Lembis, & leuibus nauigijs ultrò citroque concursantibus, & ad metam properantibus, fit triumphus memorabilis: Mulieribus etiam plurimis certatim remigantibus coram Rege uictoriam, & praemium anhelantibus, & affectantibus. Noctibus sequentibus continuis, usque ad Regis discessum ex Senatus decreto in utraque canalis ripa, in altis fenestris, & podijs omnibus, accensis lampadibus, ardere omnia uidebantur: Caelestem & lacteam illam uiam lucentibus stellis ornatam uidere me existimabam. Excurrit lunatum illud, & lucidum spectaculum à Marciana area per mediam urbem ad Diuae Luciae fanum milliaria fermè duo fulgentibus semper in utraque canalis ripa, ceu stellis, luminibus, lilia, coronas, pyramides, & alias figuras, ac denique caelum ipsum effingentibus, & sub aquis, ut in speculo, Caelum aliud stellatum demonstrantibus: certè non humanum, sed caeleste spectaculum.

Iisdem noctibus, in eodem canali è regione domus Foscarae ab excellentissimis musicis uario, ac multiplici instrumentorum concentu, & harmonia Serenissimi Regis laudes decantantur. Adstabat saepe Rex ipse ad fenestras cantus suauitate allectus.

Vigesimo die Rex priuatim Principem adit: et Princeps Regē ad canalis ripam comitatur. Eodem Die à caena in magno canali è regione domus Foscarae stabilitis prius duabus magnis ratibus constructum desuper tabulatum: mox officina, seu fornax uitraria: ibi à peritissimis artificibus uitrarijs spectante ad fenestras Rege fusum est uitrum candore Cristallum simulatum, mox conflati sunt scyphi, seu cyathi, phialae, calices, Paterae, Canthari, Lebetes, Candelabra, & quae sunt eiusdem generis uasa: Segmenta, monilia, gemmae, & alia pretiosos lapides imitantia. Et (quod Regi admirationi fuit) conflatae sunt paruae admodum uitreae pilae, in quarum medio apparebant uaria florum fictitia genera in uernantibus, ac ridentibus pratis orta: mirum certè, ac pulcherrimum artis cum natura certamen. Peracto uitrario ministerio, artifices ipsi à Rege magno praemio donati sunt.

Vigesimo primo die Serenissimus Princeps, et uniuersus Senatus ad aedes Foscaras Regem adeunt: in magnam auratam nauim Bucentaurum ipsum excipiunt: Ad templum Diui Marci deducunt: Dum Rex, Legatus Pontificis Cardinalis Sancti Sixti, Princeps, & Senatus auratam nauim egrediuntur: ligneus pons latissimus incedentibus constructus: mirus progredienti Regi inter Legatum, & Principem sub umbella apparatus: pannis purpureis supernè extensis, infernè stratis: A lateribus columnellis frondibus festiuis,

lauro,

lauro, hedera, & auratis folijs conuestitis, varijs coloribus insignia Regia pre ferentibus, pannos supernos sustinentibus, à radijs solaribus, ut umbraculum, defendentibus: Procuratoribus sex Sancti Marci umbellam deferentibus: tribus Ducibus Regem antecedentibus. Hoc ordine Rex, Legatus, Princeps, & Senatus templum Diui Marci ingrediuntur: Flectente autem se genibus Rege in sublimiori aurata sede, organis, musicis peritissimis TE DEVM LAVDAMVS *canentibus, Sacra decantantur. Hic Principum, & omnium gentium concursus incredibilis. Decantatis sacris, Rex à Serenissimo Principe prandio suscipitur: Aderat Cardinalis Sancti Sixti Legatus Pontificius, & frequens Senatus: Aderant & Ferrariæ, & Sabaudiæ, & Niuerniæ Duces tres, & Principum omnium Oratores. Quàm uarium fuerit illud prandium, alijs considerandum relinquo: lautissimum profectò, & supra quàm dici potest, splendidissimum: nullum obsoniorum genus prætermissum: Principe dignum prandium: summa maiestate plenum: conspicuum, et uenerandū Musicis præstantissimis adstantibus decantatum: uerè Regium, & memorabile prandium.*

Vigesimosecundo die ærarium, & Armamentarium Regi, & Ducibus ostenditur: & Rex ipse priuatim à Reuerendissimo Patriarcha Aquileiensi Ioanne Grimano a prandio exceptus: Cui numismata uaria, & antiquitates plurimæ à Patriarcha ostensæ. Eodem die Illustrißimus Dux Sabaudiæ Patritius Venetus à Senatu declaratus.

Vigesimotertio die Dux Mantuæ, & frater etiam Regis, magnus Franciæ Prior ex Gallia superuenit: Et Rex, & Duces quattuor ad comitia peragenda à Senatu in Prætorium admittuntur: Tunc Rex, sumpto uno ex triginta sex auratis suffragijs clarissimum Iacobum Contarenum in consilium Rogatorum eligit: & mox in maiori consilio suffragijs fermè omnibus confirmatur: dum Contarenus gratias illi agit pro fauore sibi præstito: Tum Rex, non mihi inquit Contarene, sed Clarißimis istis Senatoribus, qui merita, & uirtutes tuas cognouerunt, & plurimi æstimarunt, gratiæ sunt agendæ.

Eodem die Mercearia uia tapetis pictis, et sericis tota ornatur, quam Rex locis quibusdam priuatim, & Emporium Germanicum, & templum Diui Stephani mane inuisit, & ibi sacram Missam audiuit: celebrata autem Missa, Rex à Reuerendo Fratre Augustino Fregosio Theologo doctißimo his uerbis salutatus est.

Annos diuturnos, ac felicitatem Caroli Magni, proataui tui, det tibi Deus omnipotens.

Salutationem hanc Rex benignè audiuit. Nocte sequenti extructus mons præal-

praealtus, ingentes flammas in medijs aquis, ut aetna, eructans: mox à Deo marino statim extinctas, Felicissimum augurium Henricum Regem Christianissimum ardentem ciuili bello Galliam pace extincturum portendit.

Vigesimoquarto die Rex mane Fratrum Minorum, & diui Rochi templa adijt: à prandio autem ipse, & Duces, & Principum omnium Oratores publicum Nauale (vulgo Arsenale) ingrediuntur.

Locus hic in extrema urbis parte ad Orientem, muro praealto, & turribus multis, ambitu trium milliarium praecinctus: Ad fabricandam classem erectus: in quo omne nauigiorum genus, & omnia tormenta bellica conficiuntur: Ad armandum uno die exercitum, Ad praeparandam classem, armis, triremibus, & nauigijs innumerabilibus refertissimus: Conclauibus multis, arcubus, Sagittis, & omnium generum telis, globis ferreis, marmoreis, & puluere bellico sulphureo plenis: Mille, & ducentis carpentarijs rei naualis, & maritimae peritissimis continuo stipendio operantibus: Principi suo obstrictis: ad omnia obeunda paratissimis. Mulieribus etiam plurimis ad conficienda uela stipendia merentibus. Nullum est tam periculosum, aut diuturnum bellum tam terrestre, quàm maritimum, ad quod perficiendum publicum illud nauale non sit arma porrecturum: Ibi Serenissimum Regem in officina quadam ferraria parumper commoratum, mox Baptistam Mucianum Brixiensem cum filijs galeam malleis quattuor in numerum, & proportione temporis incudentem, & percutientem ex malleorum ictibus concentum, & harmoniã Regem audisse, & admiratum esse dicunt: tunc clarissimum Procuratorem, & Equitem Ioannem à Lege Regi dixisse Musicam ex malleorum ictibus, ut censuit Pythagoras, ortam, & perceptam esse. Ibi etiam triremes multae sunt, naues onerariae, uaria nauigia, armorum omnia genera, tormenta bellica, uexilla militaria multa olim à Christianis militibus nauali illa pugna, et memorabili uictoria ad Naupactũ sinum septimo die Octobris 1571. ex Turca tunc hoste parta. Haec omnia miro ordine disposita, Rex, & Duces quattuor, & Principum omnium Oratores intuentur, & admirantur. Publici naualis descriptio.

Inspecto publico nauali, uarium, & pulcherrimum ex sacchara, & amigdalis ientaculum Regi, Ducibus, & Oratoribus porrectum: Et quod spectantibus admirationem summam attulit: fuere mantilia, cultelli, furculae, candelabra, nuces, pruna, pira, lactucae, cerasa, persica, uaria piscium, & uolatilium genera ex sacchare, & amigdalis artificiosissimè facta.

Vigesimoquinto die Dominico in Praetorio magno conuocatis totius Vrbis pulcherrimis patritij sanguinis matronis: totus dies à prandio ad noctem, praesente Rege, & fratre, & Ducibus quatuor, miro instrumentorum concentu tripudijs, & choreis transigitur, atque consummatur.

d *Fuit*

Fuit omnibus iucundissimum, & admiratione dignum pulcherrimum illud muliebre spectaculum, in quo ducentæ, & amplius matronæ uestibus sericis candidissimis indutæ, torquibus aureis cinctæ, gemmis, unionibus, & monilibus pretiosissimis collo, & auribus pendentibus, binæ coram Rege, Principe, & Senatu, summa grauitate incedentes stuporem cum ueneratione mistum spectantium animis afferebant. Sed & illud multò admirabilius, Rege ipso in sublimiori aurata sede sub umbella inter Principem, Duces, Oratores, & Senatum in maiestate sua regia sedente: Auxit admirationem Theatrum illud à summo ad imum pannis sericis ditissimis, croceis, & ceruleis coloribus uariè distinctis, & auratis corijs ornatissimum: Et pauimētum etiam ipsum tapetibus subtilissimis sericis stratum.

Peractis tripudijs, & choreis uarium, & lautissimum ex saccharatis, & bellarijs ientaculum Regi, Ducibus, & matronis ordine sedentibus oblatum: Ibi tercentum ex sacharo, & amygdalis uariæ imagines inter matronas distributæ: Ex illis autem imaginibus, fictitia mulier una erat, quæ duas coronas, Leones, naues, & alias figuras uaria significantes Regi porrigebat. Et hęc omnia à Nicolao Pigna Aromatario peritissimo sunt confecta. Ibi Clarissimo Senatore, & oratore Ioanne Donato summa dexteritate, & charitate nobilibus aduenis nobiliora etiam, & commodiora loca semper assignante. Ex aduenis aderant ibi, & in aurata naui, nobilissimi iuuenes Brixiani Excellentissimi, & illustrissimi Doctoris, & Equitis Vincentij Portulacæ filij à Clarissimis Senatoribus, ob memoriam patris, & familiæ, de Rep. Veneta optimè meritæ, benignè excepti, & complexi.

Vigesimosexto die à prandio ad noctem, pulcherrimum terrestre prelium ad Carmelitas inter fortissimos quosque uiros commissum: Pulchrum, Dij boni, certamen, in quo propositis à Senatu premijs tam uictis, quàm uictoribus, non ensibus, aut armis cæsim, aut punctim ferientibus: sed pugnis, calcibus, & fustibus fortissimis, & nodosis ex ueteri instituto pugna conseritur: Ibi robora uirorum, ibi animos spectares: Videas alios super pontem salientes, alios in subiectam aquam illos detrudentes, & deijcientes: nullis utrinque illatis uulneribus: contusionibus tantum pugna transigitur: Ibi non fraude, sed qui robore, & animo prestabat, uictor erat: arrisit pugna hæc mirum in modum Regi, & Ducibus.

Vigesimoseptimo die Christianissimus Rex ex Vrbe recedit magno totius ciuitatis dolore: quinque patritijs Equitibus auratis à se creatis: & multis pecunijs, & catenis aureis Equitibus auratis, & patritijs dono datis: & pijs etiam locis exhibitis, Serenissimo Principe, & uniuerso Senatu Regem ad Lucifusinam comitante. Ibi Rex humanissimus dum Patauium ire parat,

Adaman-

Adamantem annulo aureò colligatum, mille, & ducentis aureis estimatum Principi dono dat.

Precamur autem omnes Regi ad patriam felicissimum, & expeditissimum iter: ut Dei auxilio, & Christianissimi Regis prouidentia Pace uniuerso terrarum orbi restituta, sub optimo Pontifice Gregorio XIII. Et felicissimo Imperio Veneto honestissimè uiuamus, & sanctissimè moriamur.

Hæc sunt Illustrissime SFORTIA, *quæ superioribus diebus in hac amplissima, & florentissima vrbe Veneta, te absente, peracta sunt: Quæ autem digniora memoria mihi uisa sunt, ea omnia superius ad te scripsi: Vt quantum tibi obstrictus sim, ob multa tua Viennæ in me collata beneficia memorem me esse intelligas. Tu enim in ea Vrbe me aduersa ualetudine laborantem tuo hospitio, summa humanitate, & liberalitate suscepisti: & omnia ad tutelam uitæ necessaria exhibuisti: ob id tibi maximas, & immortales & habeo, & ago gratias. Tu etiam in eadem Vrbe ab adolescentia tua sub Ferdinando Pannoniæ utriusque Rege multos annos stipendia meruisti: Virtutem militarem, Laudem, & gloriam Italicam auxisti, & extulisti: Cum Turca hoste immanissimo sæpius dimicasti: maximos illius tyranni conatus fregisti, & irritos reddidisti. Regnum illud Pannoniæ utriusque protexisti: Tuos omnes prouentus, & uitam tuam pro Christianæ pietatis defensione consumpsisti. Precamur tibi omnes ualidiores corporis uires, ac longissimam uitam: ut tuo consilio, & auspicijs felicissimum imperium Venetum aduersus hostes protegatur. Hæc breuiter attigi: ut apud omnes testatum per me sit: quantum tu in re militari reliquos Italiæ Principes facilè superes: quæ tua laus ob id maior, & illustrior, quòd amplissima quæque regna, & imperia perpetua temporum serie in pace, & statu suo quietissimo legibus, & armis custodiuntur, & conseruantur. Venetijs mense Augusto.* 1574. Peroratio.

IOANNIS PLANERII QVINTIANI BRIXIENSIS PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE DOCTORIS.

Tractatus breuis de Comete à duodecima die Nouembris 1577. per duos menses mortalibus omnibus apparente.

CAP. I.

Ad Illustriss.& Reuerendissimum Ioannem Matthæum Aueroldum, Iureconsultum, & S.Nazarij Brixiæ Præfectum meritissimum.

Quid sit Cometes



OMETARVM *omnium causæ duæ in Meteoris ab Aristotele aßignantur: quarum altera materialis, altera efficiens dicitur: materialis quidem causa, fumus est terrestris, qui exhalatio pinguis, uiscosa, calida, & sicca dicitur: qui fumus cùm in magna quãtitate ex terra superioribus agentibus, Sole præsertim, eleuatur, & mediam regionem aeris penetrat: & ad supremum eius, aut in ignis regionem deuenit, in parte superiori accenditur: flamma sic ardens Cometes appellatur: Quoniam uerò harum rerum omnium, philosophorum libri (quos Meteorologicos uocãt) pleni sunt: ideo ad causam efficientem secundum Astronomos propius accedamus.*

Albumasar octauo de cõiunctionibus magnis, differẽtia prima sic inquit;

„ *Aduentus stellarum habentium comas non scitur, nisi ex dominio Martis*
„ *in annis coniunctionalibus, seu alijs, & præsertim quando radij eius in ter-*
„ *reis signis sunt, aut aereis: præcipue si Luna in aereis infortunata fuerit.*

Item Aly Abenragel libro octauo cap. primo.

„ *Cùm in annis coniunctionum, aut reuolutionum fuerit Mars dominans in*
„ *signo aereo damnans Lunam in simili, siue terreo, præcipue dum fuerit Al-*
„ *mutan decimæ domus stellas comatas adducet.*

Item Georgius Purbachius ex obseruatione sua de alio Comete anni 1456. sic scripsit;

Sed

Sed anno superiori fuit coniunctio Luminarium Martis, & Saturni simul in scorpione, cui dominabatur Mars: fuit quoque dominus reuolutionis totius præcedentis, istius quoque anni pro quadragesima prima in dominio cũ Luna participat: & significatio reuolutionis istius fuit in aereo inficiens Lunam radijs suis quadratis in terreo, & in angulo terræ collocatam: & fuit Almutan decimæ domus. Similiter infiguratio ecclipsis Lunæ particularis similia fuere testimonia: quibus omnibus manifestissima fuit super Cometis generatione significatio. Patet etiam dictas constellationes huius Cometis causam fuisse efficientem. Hæc Georgius Purbachius. " " " " " " " " " "

Ex quibus authoribus constat Cometas omnes non nisi à Marte, vel Saturno, ut à causa efficiente particulari, vel à Marte simul cum Saturno procreari: quoniam enim Mars, & Saturnus mali Planetæ sunt, non mirum, si Cometas malos, & effectus malos producant: & ob id Cometæ rarius eueniunt. Ex his etiam colligitur: cur Cometæ omnes nunquam bonum, sed malum semper portendant? quoniam à solis malis Planetis producuntur: cùm enim Cometæ mali sint, mala etiam omnibus sublunaribus, præcipue humano generi minantur.

Propter quod unumquodque tale & illud magis tale, dicebat Aristoteles in primo Posteriorum. "

Si enim Cometæ mali sunt, propter malos Planetas, ergo Planetæ magis mali: cum enim septem sint Planetæ, quatuor boni, & beneuoli, scilicet, Iupiter, Sol, Venus, Luna, duo mali, & maleuoli, Mars, & Saturnus: Mercurius uerò medius inter bonos & malos, cum bonis Planetis bonus & beneuolus, quoniam eorum bonitatem adauget: cum malis uerò Planetis, malus & maleuolus, quoniam eorum malitiam maiorem facit. Hactenus de Planetis, vt de causa efficiente particulari. Sol enim causa est efficiens uniuersalis: nũc de Cometarum differentijs agendum. "

CAP. II.

COMETARVM *omniũ differentiæ nouem à Ptolomæo constituuntur: quatuor enim dixit sine comis, & caudis esse: licet comis circumquaque aliqui ex illis omnino non careant: hi propriè ab Aristotele Cometę, ab Haly autem Domini capillorum nuncupantur: quinque verò dixit Ptolomæus cum caudis apparere: hos Aristoteles Pagonias uocat: Haly autẽ Dominos Tricæ: Tres ex caudatis breues dicuntur habere caudas, reliqui duo longas: quorũ vnus Dominus Ascone, alter Matuta ab Arabibus dicitur: Cùm autem præsens Cometa satis protensam habuerit caudam, oportet, vt vnus ex illis duabus*

nuncu-

nuncupetur: sed Dominus Asconæ ex complexione Mercurij, cerulei coloris, paruus, & caudam nimis longam habere refertur: Matuta autem rubei coloris cum longa cauda, minori tamen, quàm superior, & ex complexione Martis ipsum dicunt; Cum igitur tam color, quàm figura Cometis, qui nunc apparuit, magis Matutæ, quàm Domino Asconæ conueniat: ideo ipsum Matutam appellauimus; magis itaque natura sua Martiali naturæ, quàm alicui alteri erraticæ conformis est: quod etiam locus cœli, sub quo inflammari cœpit, attestatur: Dicit etiam Georgius Purbachius de illo Comete, qui tempore suo apparuit, quòd ea nocte, qua primo accensus fuit, Mars in tertio gradu Tauri locabatur: sic Mars, & Cometes in prima Tauri facie uidebantur esse coniuncti. Hæc doctissimis Astronomis, quia Astronomus ego non sum, pertractanda relinquo. Hactenus de Cometarum differentijs, nunc de eorum significationibus agendum.

CAP. III.

E S T *autem Cometarum significatio, & ipsa duplex, uniuersalis scilicet, & particularis, uniuersalem quidem in quadripartito Ptholomeus dixit esse, Prælia, combustiones, & res uehementes, & festinos motus, ut latrocinia, deprædationes, captiuitates, mortes subitaneas, febres acutas, & similia.*

Virgilius quoque in primo Georgicorum in fine sic cecinit.

Non aliàs cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura: nec diri toties arsere Cometæ.

Idem in decimo Aeneidos in quadam comparatione sic cecinit.

Non secus ac liquida si quando nocte Cometæ
Sanguinei lugubre rubent.

Ibi enim sanguinis effusionem intelligit: & luctum mortalitatis ostendit: Claudianus etiam sic cecinit;

Et nunquam cœlo spectatum impune Cometem.

Et paulo post.

Prepes sanguineo delabitur igne Cometes,
Prodigiale rubens, non illum nauta cautus,
Non impunè uident urbes, sed crine rubenti
Nuntiat aut ratibus uentos, aut urbibus hostes,

Lucanus etiam regnorum mutationem Cometes innuit significare, cum dixit;

Ignota obscuræ uiderunt sydera noctes:

Arden-

Ardentemq; palam flammis; cœloq; uolantes »
Obliquas per inane faces, crinemq; uerendi »
Syderis, & terris mutantem regna Cometem. »

Quibus omnibus dicta Ptholomæi in ultimis centiloquij uerbis concordare ui dentur, ubi dicit, quòd significant uapores siccos, diminutiones aquarum, turba tionem aëris, legum, & Regnorum mutationem, exercitum de longinquo uenientem, alienaque Regna inuadentem.

Alia autem significatio magis particularis est, quæ ex cœli loco sub quo primum Cometes accenditur, & ex natura stellarum, & Planetarum Cometem generantium, & ex habitudine eius ad Solem accipitur. De hac primo ha bemus Ptolomæum dicentem:

Cum Cometes, qui Matuta dicitur, apparuerit: paucitatem significabit a- quarum, famem ingentem, ignis combustionem, & bella, & cadent in homini- bus ægritudines siccæ, eritq; magna mors boum, & quadrupedum, & plures homines comburentur, & deficient arbores, & semeta, dolores uarij ex nimia siccitate prouenientes, & quædam pars terræ depopulabitur: terræ motus accidet, frigus uehemens cum corruptione messium, casus fructuum arborū, paucitas culturæ, & plantationum in terra, defectus etiam in mineris erit: Quidā etiam magni nominis Princeps aut morietur, aut detrimenta maxima patietur. Hæc Ptholomæus, ita referente Purbachio.

Plinij verba lib. 2. historiæ naturalis, cap. 25. hæc sunt.

Cometes Græci uocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, & Coma rum modo in uertice hispidas, lampades ardentes imitantur faces: breuissimū quo cernerentur spatium, septem dierum adnotatum est, longissimum actoginta: terrificum magna ex parte sydus, ac non leniter piatū, ut ciuili motu Octauio Consule, iterumq; Pompei, & Cæsaris bello: his ipsis ludorum meorū diebus sydus crinitum per septem dies in regione cœli, quæ sub Septentrionibus est conspectum, id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumq; & omnibus terris conspicuum fuit, eo sydere significari uulgus credidit Cæsaris animam inter Deorum immortalium numina receptam. »

Hæc Plinius.

Vt mirari fortasse de Plinio liceat, quòd Cometarum prodigia solum expresserit: de causis autem Cometas producentibus, & quid Cometæ sint, ne minimum quidem uerbum fecerit: homo tantum ad scribendum, & ad scripta antiquorum euoluendum, & transcribendum natus: naturalium autem rerum causas, & earum essentias, uel nihil, uel parum attigit: Vir alioqui magnus, & memorabilis. Sed hoc altioris philosophiæ, & astronomiæ munus.

Digressio

In naturalibus Pli. defectuosus.

M. Tullius quoque in secundo de natura Deorum ait stellas quas Græci Κομήτας*, nostri crinitas uocant, magnarum fuisse calamitatum prænuntiãs, quæ bello Octauiano fuerunt. Sed quid ago? cur philosophorum Principẽ ab inferis non excito? Si quis igitur materiam hanc de Cometis diffusius uidere uoluerit, adeat Aristotelem & doctissimos eius interpretes in prima Meteorologicorum, neque enim hic recensere constituimus: Satis est sitientibus fontem demonstrasse.*

CAP. IIII.

NON *alienum ab instituta serie fuerit, si conterranei mei Ioannis Francisci Quintiani Stoæ, Poetæ, & Oratoris clarissimi exempla in medium attulerimus; is igitur libro suo mirandorum de Cometis agens, sic scriptum reliquit:*

„ *Nunquam Cometem uideri maiores nostri autumarunt, quin Principis*
„ *alicuius fato minaretur: hoc Commodus Imperator expertus est: in cuius*
„ *morte crinita stella longo flammarum tramite emicuit.*
„ *Simile prodigium fuit Claudij Cæsaris Principatu, cuius supremi fati cri-*
„ *nitus Cometes diu noctuq; ardenti fulgore uisus signum tremendum præbuit.*
„ *Diutius Cometes ille apparuit, qui Constantini III. Imperatoris æuum tri*
„ *bus mensibus emicans solicitauit.*
„ *Præcedenti minus subsequens eluxit: Henrico siquidem II. imperante,*
„ *stella ingentis magnitudinis 25. diebus semper emicuit: nec unquam auxit*
„ *lumen, aut diminuit.*
„ *Vrbani IIII. Pontificis Maximi interitus per stellam deficientem sciri po*
„ *tuit: cùm ea nocte qua decessit, Cometes quidam uideri desijt; qui semper tri*
„ *bus mensibus ante insigni magnitudine apparuit.*
„ *Quo die Pertinax nomine Imperator mortuus est, stellæ iuxta Solem ui-*
„ *sæ: alij autem dicunt id accidisse eo die antequàm obiret.*
„ *Clarior & Cometes fuit ille Romanis in actis perscriptus, cuius tãtus fuit*
„ *splendor, vt solares radij tam obfuscarentur, quàm Sole admoto Lunaris glo-*
„ *bus proprium nitorem amittit.*
„ *Humani generis hostis Nero in sui Principatus initio crinitam stellã sex*
„ *mensibus perenni lumine enituisse uidere potuit.*
„ *Mirabilior Cometes ille fuit ijs, qui Friderici III. Imperia conspexerunt:*
„ *huius namque inusitata immensitas fuit, coloris ignei, ac rutilantis, crinibus*
„ *longissimis atrisque figura latior: & hæc lxxx. diebus oculis mortalium ob-*
„ *uersata fuit.*

Quòd

Quòd Cometæ malum portendant, exemplo sunt Helice, & Burcha, quæ antequam absorberentur, admonitæ sunt ob Cometem ingentissimum, qui diu super vrbes astitit. „

Hierosolymitana clades prodigijs prænotata fuit, quibus Iudæi non solū absterere debuerant, sed etiam adamantina duritie exui: eo nanque anno quo Hierosolymitana vrbs à Tito Vespasiano deleta est, sydus ingens, gladij figura, vrbi imminere uisum est. „

Stellarum faces multoties uisæ non minimum metum spectantibus incusserunt: simile exemplum Romæ fuit, quod non multo antequam Cibele Romā ueheretur, apparuit: fax siquidem stella septies ab ortu Solis ad occasum porrigi conspecta est. „

Hactenus Quintianus Stoa.

CAP. V.

ILLVD *omnino non prætereundum, quod Seneca de duobus Cometis tempore suo apparentibus memoriæ prodidit: quorum alter immensæ magnitudinis, ut Sol, extitit: alter sex mensibus perdurauit: Senecæ uerba de Cometis agens hæc sunt.*

Paulo ante Achaium bellum Cometes effulsit: non minor Sole: primo igneus, ac rutilans orbis fuis: clarumque lumen emittens quanto uinceret noctem, deinde paulatim magnitudo eius districta est: & euanuit claritas: nouissimè autem totus intercidit. „

Et paulo post.

QVARE *ergo per longum tempus apparent, & non cito extinguūtur? Sex enim mensibus hic, quem nos Neronis principatu lætissimo uidimus, spectandum se præbuit: in diuersum illi Claudiano circumactus.* „

Hæc Seneca. „

Mirum quomodo sub Nerone omnium mortaliū immanissimo eius principatus subditis lætissimus fuerit? Propterea non desunt, qui scribant, Senecā hic Neroni adulari: O miserum te Seneca: Neronis principatus non lætissimus, sed mæstissimus, & funestissimus tibi futurus est. Vide candide Lector quàm uariabiles, inconstantes, & mutabiles res humanæ sint. Satis enim cōstat Senecam Neroni prius charissimum, familiarissimumque fuisse: fuit. n. Consul, ac Senator, & Neronis præceptor, & diu apud eum potentissimus: ita ut quandiu Nero pietatem simulauit, & optimi Principis officio fungi ui- Digressio

sus, nihil sine consilio Senecæ ab Imperatore transigeretur: mox mutata fortuna iussu Neronis interfectus.

Claudiani sententia notanda.

Tolluntur in altum:
Vt lapsu grauiore ruant.

Seneca igitur, senio iam, & ætate confectus: Neronis postea crudelitates, stupra, incestus, & adulteria ægrè ferens: ab Vrbe Roma in Nomentanũ uillam suam recesserat. Tunc Sillanus Prætoriæ cohortis Tribunus à Nerone ad Senecam missus, circumsepta prius satellitibus Senecæ domo, mãdata Neronis Principis ei exponit; scilicet, ut uel mortem sibi consciscat, uel aliquod aliud genus mortis sibi constituat. Tum Seneca constanti uultu & animo id se facturum pollicetur: atque ita in præparato prius aquæ calidæ balneo brachiorum, & crurum uenas astantibus secandas præbuit: effundente autem se in balneo multo sanguine ad amicos astantes conuersus, eos hortatus est, ut uirtutum, & laudabilium artium sibi famam compararent: Hoc esse uitæ suę peractæ simulacrum: Et tempus illud iam uenisse aiebat, quo illa sanctissimę philosophiæ suæ præcepta iam non disputando, sed fortiter ferendo, & faciendo comprobaret. Appropinquantem aũt mortẽ cùm sentiret, sumpta manibus proprijs in balneo aqua sanguine mixta, ipsam super se respersit: hunc liquorẽ, inquit, sanguine & aqua mixtũ tibi Deo liberatori consecro: his dictis, animã efflauit. Vir probitate, & uitæ integritate in sua secta insignis. Quot luctus? quot lachrimę ab uxore Paulina, & ab abstantibus amicis sunt effusæ? uixit annos 114. Placet autem Epitaphium in balneo, debili & moribunda uoce à se editum subscribere, quod est

Miserabilis interitus Senecæ deploratio.

Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores.
Ite: aliàs posthac solicitate animas:
Me procul à uobis Deus euocat, illicet actis
Rebus terrenis: hospita terra uale:
Corpus auara tamen solemnibus accipe saxis:
Namque animam cœlo reddimus, ossa tibi.

Placet etiam Diui Hieronymi iudicium de Seneca subscribere. Hieronymi uerba in prologo super epistolis Diui Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, & in libro de scriptoribus ecclesiasticis, & in eius epistolis, hæc sunt.

Lucius Anneus Seneca Cordubensis patruus Lucani Poetæ: continentissimæ uitæ fuit, quem non ponerem in catalogo sancto rum, nisi me illæ epistolæ prouocarent: quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum: in quibus cùm esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos: Hic

autem

autem ante biennium quàm Petrus & Paulus martirio coronarentur à Nerone interfectus est.

Hæc Diuus Hieronymus.

Hæc sunt candide lector, quæ de Comete à duodecima Nouembris 1577. *per duos menses mortalibus omnibus apparente ex probatißimis scriptoribus collegimus: mala tamen, & calamitates, quas sydera ipsa quandoque nobis minantur, necessariò uenture non sunt: quandoquidem operationum nostrarum duplex à philosophis aßignatur principium: natura scilicet & uoluntas: natura quidẽ syderum influxu regitur: uoluntas autem libera est: illa tamen sæpe ad naturæ motum inclinatur. Ea itaque quæ à libertate arbitrij nostri dependent, à nobis etiam aliter fieri possunt: propterea rectè dicebat ille: Sapiens dominabitur astris. Quæ uerò à sola natura ueniunt, à solo etiam rerum omnium conditore permutari solent. Cui sit laus, & benedictio per secula.*

IOANNIS PLANERII QVINTIANI BRIXIENSIS ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS.

Collegium Viennæ habitum cum Doctoribus Regijs pro quodam nobili viro Viennensi phthisi laborante: in quo quæritur nunquid in hectica ex phthisi superueniente leui putrida possit dari lac?

Ad Aloysium Venerium, philosophum & medicum Venetijs præstantissimum.

EXCELLENTES DOCTORES.



IDI ego hoc mane sputamina illa liuida, & purulenta: quæ arguunt supra vlcus in pulmone: & apparuerũt etiã aliquæ sanguinis rascationes: adest & catarrhus continuus à capite ad pectus defluens: adest & febris, quam opinor esse hecticam coniunctam cum putrida. hæ sunt quæ apparent in hoc nobili Viro. Inuestigandæ modo sunt à nobis causæ tàm procatarcticæ & extrinsecæ: q̃ intrinsecæ, & coniunctæ: postmodũ prognosticãdum de futuro termino salutis, vel mortis huius nobilis uiri: Vlmo deueniendum est ad curã, si qua erit. Causæ igitur extrinsecæ fuerunt balnea illa sulphurea, quæ anno elapso ipse assumpsit in cõmissura coronali, & à quibus caput ipsum fuit discrasiatũ: & introducta fuit mala intemperies calida & sicca: & hoc arguitur ex salsedine catarrhi percepta: nam catarrhus iste videtur esse salsus: causa coniuncta, est catarrhus descendens à capite ad pulmonem, & corrodens ipsum pulmonem: hinc prognosticum timorosum: nam perseuerante isto catarrhi defluxu de necessitate tota substantia pulmonis destruetur: & sic æger morietur. Adest & febris hectica cum putrida, ad quas sequetur tabes: & ad tabem sequetur interitus: habitudo etiam corporis huius nobilis uiri, collum scilicet oblongum: pectus angustũ: & alatæ spatulæ phthisim antea minabantur: calor præterea per vniuersum corpus post assumptum cibum auctus, hecticam indicabat: quod & in calce

madefacta

madefacta contingere docuit Galenus. Sed videndum an posit esse hectic i ex ulcere pulmonis sine leui putrida? Dico Domini quòd rarissimè contingit, imò ferè est impossibile, hecticam ex ulcere pulmonis esse sine leui putrida: nam ex secundo de differen. febr. quando inflammantur spiritus, propter hoc non inflamantur humores: & quando inflammantur humores: propter hoc non inflammantur membra solida. Sed si inflammantur membra solida: facillimè etiam inflammantur humores: & inflammatis humoribus, facillimè inflammantur spiritus: quoniam omnis substantia tenuis facilius quàm crassa alteratur: dicebat Galenus; Stante itaque ulcere in pulmone: stat etiam febris hectica: quoniam omnis phthisicus confirmatus est hecticus: sed non omnis hecticus est phthisicus. Et propterea dico, quòd quando est hectica ex phthisi, ferè semper adest etiam saltem leuis putrida, & spirituum inflammatio: quoniam facillimus est iste transitus ex hectica in putridam, & spirituum inflammationem.

Et propterea in hectica ex phthisi, cum adsit etiam putrida: propter leuem putridam non abstinerem ego ab exhibitione lactis, ut multi faciunt, qui cùm uident hecticam ex phthisi coniunctam cum putrida, propter leuem putridam nolunt exhibere lac. Primum notandũ.

Nisi adesset intensa inflammatio, & vigor febris putridæ esset intensus: tunc neque etiam ego exhiberem lac. Secundũ notandũ.

Si aũt esset hectica non ex vlcere pulmonis, sed ex soli membrorum solidorum inflammatione, superueniente leui putrida, tunc neq; ẽt ego exhiberẽ lac.

Isti igitur sunt affectus, & dispositiones præternaturales, quas nos curare tentabimus. Facta itaque prius euacuatione uniuersali, medicamentis lenientibus: Cassia scilicet, vel manna, uel diacatolicone, uel electuario lenitiuo, vel diasebesten simplici: euacuarem postea materiam illam catarrhalem à capite ad pulmonem descendentem, agarico præparato, & rabarbaro: exhibendo illi drachmam unam agarici præparati, & scrupulum unum rabarbari in forma pillulari alternis diebus: neque enim agaricus cum rabarbaro in forma pillulari prouocabit uomitum. Perfectam autem phthisis curationem, & absolutã à practicis petendam esse censemus. Et si nos simus in estate, & in constitutione anni ualde calida propter hoc non abstinerem ego ab exhibitione agarici, & rabarbari, quoniam morbus iste nobis non dat inducias: si enim uolumus expectare autumnum, & constitutionem anni temperatam, interim catarrhus iste corrodet totam substantiam pulmonis: & in autumno morietur æger: quia autumnus est ualde infestus phthisicis, & hecticis: ut dicebat Hippocrates in prognosticis: & ferè omnes moriuntur in autumno: propter inæqualitatẽ aeris modo calidi, modo frigidi: propterea exhiberem ego agaricum cum rabarbaro, Tertium notandũ.

baro, & in agarico, nō est insignis & excellens caliditas quæ impediat me ab eius exhibitione: Facta paulatim euacuatione & euacuato corpore medicamentis lenientibus, & agarico & rhabarbaro, ut dixi, deuenirem ego ad exhibitionem lactis humani, uel asinini, uel caprini: & facchari rosati: & quamuis adsit etiam leuis putrida, non abstinerem ego ab eius exhibitione, ut multi faciunt, propter Hippocratis Aphorismum 64. Quinti aphorismorum.

» *Lac dare caput dolentibus malum: malum & febricitantibus.*

Quando enim ægritudines sunt complicatæ, attendendum semper est ad id quod magis urget, & ad id quod est causa alterius: sed in hoc corpore, hectica magis urget quàm leuis putrida: & hectica etiam est causa putridæ: ergo ad hecticam principaliter attendendum: non neglecta tamen interim putrida: Lac igitur nobis exhibendum.

In futuro colloquio adducam ego authoritates, & rationes, quibus probare tentabimus, in aliquibus etiam febribus putridis, nulla existente hectica, dandum omnino esse lac, & Excellentiæ uestræ cogitabunt super hoc.

Febris hectica.

Quædā ex phthisi, seu ex ulcere pulmonis, in qua superueniente etiam leui putrida, dandum omninò est lac.

Quædam ex sola membrorum solidorum inflammatione, in qua superueniente leui putrida, nullo pacto dandum est lac.

Quæstio.

Proposita fuit nudius tertius à me difficultas, nunquid in aliquibus febribus putridis possit dari lac? quam difficultatem hodie examinandam, & soluendam suscepi: dixit enim Aristoteles quòd dubitatio est uia ad acquirendam ueritatem. In qua difficultate examinanda sic procedam: primo adducam authoritates & rationes dissuadentes lactis exhibitionem: secundo dicam quid ego pro ueritate sentiam: tertiò soluam authoritates & rationes in contrarium adductas. Est itaque uulgata illa sententia Hippocratis;

Prima pars quæstionis. » *Lac dare caput dolentibus malum, malum & febricitantibus.*

Vbi per febricitantes Galenus in commento intelligit febricitantes febre acuta: febris autem acuta, est febris putrida. Dioscorides etiam libro secundo ubi agit de lacte, dixit;

» *Lactis usus contrarius est spleneticis, epaticis, uertigini, comitialibus, & febres habentibus.*

Quam Dioscoridis sententiam secuti sunt Doctores omnes, & Mesues, &

Auicen-

Auicenna secundo Canonis in cap. de lacte: & tertio Canonis in cura Catarrhi: Et propterea Doctores fermè omnes abnegant lac febribus omnibus putridis laborantibus.

Sunt & rationes apparentes roborantes Doctorum dicta. Illa nanq; quæ facilè corrumpuntur, non debent exhiberi laborantibus febribus putridis: sed lac facilè corrumpitur, quamuis bonæ sit substantiæ: ergo non debet exhiberi. Præterea lac in uentriculo quidem calido in fumosam conuertitur eructationem: in frigido uerò in acetosam: ut dicit Galenus in commento: & in tertio de alimentorum facultatibus, in cap. de lacte acetoso Præterea lac non debet dari, nisi prius corpus fuerit purgatum: & quæ febre putrida febricitant, non sunt corpora purgata. Præterea lac in febribus putridis non conuenit nec ut cibus, nec ut medicina: non ut cibus, quoniam plurimi est nutrimenti: Et impura corpora quanto magis nutries, tãto magis offendes, dicebat Hippocrates in aphorismis, non ut medicina, quoniam nullum determinatum humorem respicit, & euacuat. Præterea in lacte est pars bitirosa, quæ quia est unctuosa, facillimè inflammatur: ex lactis itaque haustu crescerent æstus, & inflammationes: quæ duo inconuenientia Medici & remittere, & ex toto extinguere contendunt. Est & pars casealis, & fæcalis, quæ quia crassa est, facit obstructiones: obstructiones autem sunt potissima causa putredinis, ut dicit Galenus in libris de diff. feb. & 9. & 11. methodi medendi: ipsa uerò putredo est, quæ putridas excitat febres, & eas nutrit, & fouet: stantibus itaque obstructionibus, stabit & putredo, stabit & febris putrida.

Istæ itaque fuerunt authoritates & rationes apparentes, quibus multi Doctores conati sunt omnino abnegare lac omnib. laborantibus febribus putridis.

In oppositum stat ueritas: Et propterea conabor ego hodie ostendere, quòd in aliquibus casibus cõuenit dare lac laborantibus febribus putridis: & quòd hoc uoluerit Hippocrates in aphorismo superius citato, legamus aphorismum sexagesimumquartum quinti aphorismorum. Antiqua uersio hæc est. Secunda pars quæstionis.

Lac dare caput dolentibus malum, malum & febricitãtibus; & quibuscunque hypocundria suspensa regiunt: Et siticulosis: malum uerò quibus fellei secessus: & in acutis febribus: Et quibus sanguinis multa egestio facta est: Conuenit uerò phthisicis non ualde febricitantibus. ,, ,, ,, ,,

Dare uerò & in febribus longis nullo prædictorum signorum præsente, & extra rationem tabefactis. Locus aphorismi considerandus.

Noua Laurentiani, & Theodori Gazæ translatio.

Lac febricitanti dari, aut caput dolenti, malum est. Et quibus ilia suspensa murmurant. Et ijs qui sitibundi sunt: nocet etiam quibus per febres acutas biliosæ deiectiones prodeunt: Et quibus sanguinis multi facta deiectio. Competit ,, ,,

tabidis

„ *tabidis nisi admodum febriant , Dandum etiam in febribus longis tussibundis,*
„ *si nec ullum ex prædictis urget,& præter rationem æger absumitur.*

Noua Laurentiani, & Theodori Gazæ translatio.

„ LAC *febricitanti dari,aut caput dolenti malum est: Et quibus ilia suspē*
„ *sa murmurant:Et ijs qui sitibundi sunt, nocet etiam quibus per febres acutas*
„ *biliosæ deiectiones prodeunt:Et quibus sanguinis multi facta deiectio: Com-*
„ *petit tabidis nisi admodum febriant:Dandum etiam in febribus longis tussi-*
„ *bundis, si nec ullum ex prædictis urget,& præter rationem æger absumitur.*

Noua Leoniceni translatio.

„ LAC *dare caput dolentibus malum:malum uerò & febricitantibus. Et*
„ *quibus ilia suspensa murmurant. Et siticulosis: malum autem & quibus in fe-*
„ *bribus acutis biliosæ sūt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio fa-*
„ *cta est Conuenit autem & tabidis dare qui non ualde multum febricitant: Et*
„ *in febribus longis,& paruis,si nullum ex supradictis signis affuerit; & præ-*
„ *ter rationem consumptis. Galeni uerba in commento hæc sunt;*

Dandum est lac tabidis,& præter rationem extenuatis.

Aphorismi interpretatio. *In cuius aphorismi expositione nobis insistendum: dicimus itaque malum esse exhibere lac dolentibus caput, quoniam lac facillimè euaporat ad caput etiam in corporibus sanis: Est etiam malum febricitantibus intensa febre putrida, quoniam febrem augeret: & diximus non sine causa intensa febre putrida: si enim putrida esset,& non intensa: posset lac tutò exhiberi, ut statim dicit aphorismus.*

„ *Malum est etiam exhibere lac ijs,quibus hypocundria,siue ilia rugiunt,siue murmurant: hi enim uento plena habent loca illa,& ob id rugiunt, seu murmurant: quod accidens ex lactis haustu regeretur, quoniam facile euaporat, & in flacum conuertitur, ut dicit Galenus in commento, non solum in ægris, sed etiam in corporibus sanis.*

„ *Malum & siticulosis: quæ enim sitiunt, plenum bile habent uentriculum: Lac autem in bilem facile conuertitur, ex lactis itaque haustu,cresceret sitis: malum & ijs,qui felleos,seu biliosos patiuntur secessus: Leoniceni uerò translatio clarior,dicit.*

„ *Lac malum esse in acutis febribus in quibus biliosæ sunt deiectiones: & ita etiam Theodorus Gaza hunc locum transtulit: Lac igitur cum in bilem facilè conuertatur,ex lactis haustu crescerent biliosæ deiectiones.*

„ *Lac etiam malum quibus sanguinis multa egestio facta est: quoniam ut plurimum prouenit sanguinea egestio propter iecinoris, uel intestinorum dysente*

riam:

riam: hæc autem fit ab humoribus cholericis, aut nitrosis, quas omnes lac auget: quoniam ad ipsorum naturam facile conuertitur. Est & alia ratio, quoniã lac aluum soluit. soluere uerò uentrem super uentris solutionem periculosum: ut quarta fen primi canonis. cap. 3. legimus. Si quando tamen exhibemus lac in fluxibus cum clysterijs præparamus ante ipsum, imponendo ignitos lapillos, aut ignitas ferri pillulas, quem modum magis laudauit Galenus libro 10. de simplicium medicamentorum facultatibus cap. de lacte, propter stipticitatem, cuius ferrum pariiceps est.

Conuenit uerò phthisicis non ualde febricitantibus: sic dicit antiqua translatio, noua uero, & quæ Theodori, & quæ Leoniceni, non phthisicis, sed tabidis dicit. Recentiores expositores dicunt aphorismum posse uerificari de quibuscunque, licet de ueris phthisicis, qui scilicet ulcere pulmonis afficiuntur, clarius uerificetur: est nanque hoc undique eis conueniens. Declarat etiam Mesues cap ipso de cura phthisis præstantia iuuamenta quæ ueri phthisici ex lactis usu consequuntur.

Quoniam inquit lac aggregat intentiones tres: est enim res cibalis, & dilecta nimis, & est ex rebus uelocis conuersionis in sanguinem: est enim sanguis bis coctus: & est post illud medicina abstergens ulcus uirtute serositatis eius: & couglutinans ipsum uirtute caseitatis eius. „


Si uerò textus dicat tabidis, ualentissimum est eis lac, cùm sit nutritiuum ualde, & instauratiuum: hoc itaque & phthisicis, & tabidis conuenientissimum est: Additur autem hic, non ualde febricitãtibus. Pro quibus uerbis est diligenter considerandum, ueros phthisicos necessatio esse febricitantes: omnis enim phthisicus confirmatus est hecticus: tabidi quoque ipsi hectici sunt, hectici autem omnes febricitant, nisi qui hectica laborant senectutis: non igitur dixit phthisicis, aut tabidis non febricitantibus, supponens omnes, aut plures febricitare.

Sed dixit non ualde febricitantibus, ut ostenderet, ijs solum phthisicis, uel tabidis lac etiam prohibendum, qui ultra febrem hecticam, putridam aliquam intensæ inflammationis patiuntur, ijs enim lac non iniuria abnegatur. quartum notandũ.

Conuenit etiam lac in febribus longis, non existente aliquo prædictorum quod prohibeat.

Scilicet, quòd non adsit dolor capitis, neque ilia suspensa rugiant: neq; suis, neque egestiones biliosæ, neque sanguinis multa egestio: Et hic est locus, ex quo sine aliqua hæsitatione colligimus, uoluisse Hippocratem hac quandoque concedendum in aliquibus febribus putridis, quod ut clarius appareat, insistemus in huius textus expositione: Et primo dicimus scitum esse ex primo de diff. feb. Et prima fen. quarti canonis, Febrium genera esse tria: ephemeram, putridam, „ locus aphorismi considerãdus.

f *& hecticam:*



& becticam: Sed ephemera breuis est: per longas igitur febres, aut putridas quasdam, aut becticas intelligit: Sed de becticis superius meminit: cum dixit conuenire lac phthisicis, aut tabidis: & omnes phthisici bectici sunt: & omnes bectici febricitant: nimium ergo inutiliter, imò superfluè statim addidisset, conuenire lac in febribus longis, si per longas febres, becticas intelligebat: quas iam in phthisicis, & tabidis comprehenderat: necesse est ergo ipsum per longas febres, quasdam certas putridas uelle: quod noua Theodori Gazæ translatio clarius demonstrat: dicit enim dandum esse lac in febribus longis, si nec unū de prædictis urget, & æger præter rationem consummitur. Simul itaque legit totum hoc, quòd detur lac in febribus longis, in quibus non sit aliquod prædictorum prohibentium lactis exhibitionem, et in quibus æger præter rationem consummitur: Quòd si per longas febres, becticas intellexisset, frustra addidisset ultimam illam particulam, & æger præter rationem consummitur: cùm minimè sint longæ becticæ sine corporis consumptione, quod non ita est in omnibus putridis: nam aliquæ sunt putridæ longæ, sine corporis consumptione, ut in aliqua quartana, & aliquæ cum corporis consumptione, ut in alia quartana, uel tertiana nota: omnis igitur bectica longa est cum corporis consumptione. Per longas igitur febris, putridas oportet intellexerit longas. Et quoniam nec in omnibus longis putridis lac potest tutò exhiberi, uolens hoc sanè intelligi, dedit duas conditiones requisitas ad hoc, ut lac eis liberè exhibeatur, prima ut cum talibus putridis non coniungatur aliquod illorum prohibentium lactis exhibitionem, quæ in aphorismo dicta sunt. Secunda conditio est, ut laborantes talibus febribus putridis longis sint extra rationē consumpti: propter hoc enim potissimum egent lacte: ut paulopost declarabimus. Quòd uerò in libro 4. de ratione uictus in acutis, textu & commento 7. concedatur lac in acutis febribus: hoc nihil obstat: ibi enim datur lac ad uentris solutionem, & non pro cibo, ut nos inuestigamus hic. Verbum autem illud in aphorismo Tussibundis, additum fuit ab aliquo interprete.

Sed iam tempus est, ut longiori ratiocinatione quod promisimus, præstemus: Age igitur fingamus Socratē pituitosa febre, aut quartana, aut tertiana notha longo tempore laborantem, ac febris diuturnitate præter rationem consumptum, sine capitis dolore: & sine accidentibus in aphorismo enumeratis: ueneritq; febris ad tempus ueræ declinationis: modicaq; admodū supersit materia, quæ febrem foueat: Sit tamen uirtus ex morbi diuturnitate multum resoluta: ita ut medicum excitet ad sui instaurationem. Certè huic corpori lac meritò exhibendum esse censemus: egent nanque corpora ista restaurantibus eduliis in quibus concoquendis uirtus ipsa non defatigetur: Sed tale profectò est lac. quia.n. natura sanguinis est ualde cognatum, facilis est eius in sanguinem

nem

nem conuersio: & neq; stomachus, neq; epatis uirtus in eius concoctione ualde laborat: generat enim lac multum, atq; optimum nutrimentum: ipsa etiam experientia docet, consumpta corpora nullo alio cibo, melius, & citius instaurari quàm ipso lacte: & licet propter facilem eius corruptionem uideatur timendum, ne fortè in corporibus putrida laborantibus ad putredinem conuertatur, & ipsam augeat: plus tamen est iuuamenti uirtutem roborando, quàm nocumenti ex modica aucta putredine: imò fieri potest, ut uirtus lacte fortior facta, residuum materiei resoluat, uel expellat: quorum neutrum, quia debilis erat, ante lactis assumptionem facere poterat: ut in responsionibus ad ea quæ in contrarium obijciebãtur, clarius dicemus. Præterea dicit Galenus in commento, quòd dandum est lac tabidis, & præter rationem extenuatis: Socrati igitur diuturna febre putrida extenuato dandum omnino est lac in declinatione febris.

Superest modo ut nunc soluamus ea quæ in contrarium adducebantur, tum authoritates, tum etiam rationes: & ad authoritates quidem omnes tum Hipprocratis, tum Galeni & Dioscoridis uolo unica respõsione esse satisfactũ: dicens authoritates illas omnes hoc solum uelle lac esse prohibendum in febribus putridis, dum & putredo uiget: & ex putredine uigor febris intenditur: & calor est multum intensus. Sicuti est in febrium principijs, & augumentis, & in statu: in quibus profectò temporibus nec nos credimus lac conuenire. Tertia pars quęstionis. Notãdũ.

Ad id autem quando dicebatur, quod quamuis lac sit bonę substantię facile tamen corrumpitur, & quæ corruptibilia sunt, uidentur putredinem augere.

Respondemus, nos exhibere lac habita ratione ad virtutem, quę facillimè lacte instauratur, & non habita ratione ad putredinem. & iam diximus quòd uirtus instaurata potest putredinem prohibere: uel materiam putredinis expellere, ad quod iuuat lactis lubricitas: omne enim lac nutrit: mouetque, ut dicit Hippocrates secũdo de ratione uictus in acutis Ex quibus uolumus esse demonstratum, quòd & si lac putrida laborantibus exhibitum, possit sui facili corruptione aliqua afferre incommoda, si tamen detur seruatis, quas diximus, conditionibus: maius erit iuuamentum, quàm nocumentum: instaurata enim & fortior facta uirtus ex lactis assumptione, uel humores putridos ad benignum reducit: uel reduci ineptos e corpore expellit: non igitur propter paucum illud nocumentum lac ipsum abnegabimus.

Ad id uerò quod secundo adducebatur, non esse dandum lac, si corpus prius non fuerit purgatum: & quæ febre putrida febricitant, non sunt corpora purgata.

Dicimus totum hoc esse uerum, nisi maior urgeret necessitas reassumendi

uirtutem,ut superius diximus: nec existente in corpore magna corruptione damus lac. Et iam diximus in uera declinatione febrium putridarum non esse languentium stomachos malis humoribus multum repletos. Et nunc addimus,ut lac tutius eis exhibeatur, purgandos esse eorum stomacos ac uasa stomaco propinqua,ut lac assumptum puriores,ac paratiores inueniat uias.

Ad id autem quando dicebatur, non conuenire lac, nec ut cibus, nec ut medicina.

Dicimus,quòd & si sit plurimi nutrimenti,& impura corpora quanto magis nutries,tanto magis offendes.

Dicimus,quòd cùm damus lac in declinatione febrium,eo tempore corpora non sunt ualde impura. Preterea, & si lac nullum determinatum humorẽ respiciat,commode tamen datur ad educendas materias communes, quæ sunt in uijs ductuum, sicut faciunt multa alia lenientia.

Damus etiam lac ad prohibendum casum in hecticam, & ad ultimum uirtutis prostrationem:conuenit enim illis cibus qui facile concoquatur,& uirtutem multum restauret,nec tamen ipsam aggrauet.

Et ad id quod opponebatur, non conuenire lac febricitantibus febre putrida,propter partem butirosam facile inflammabilem: & partem casealem obstructiones facientem,quæ in eo sunt.

Facile soluitur, cum quis intellexerit, ex partibus istis, cum parte serosa tertia,ab eis longe diuersa, reddi totum lac ita prope temperamentum,ut nec inflammatio,nec obstructio ab eo timeatur:licet enim butirum separatim à lacte sumptum sit inflammabile. Et caseus similiter seorsum à lacte acceptus,ratione suæ crassitiei faciat obstructiones:dumtamen hæc duo sunt in lacte indistincta,& cum parte serosa tertia integrant lac, talia ab eis non timemus. insurgit enim in toto uirtus à uirtute partium ualde diuersa: id quod in multis uel à natura,uel ab arte factis conspicimus. Sicuti in melle, in quo uirtus totius mellis est alia à uirtute partium mel ipsum componentium, & integrantium:nam & forma totius alia est à forma partium.

Cæterum cùm lac exhibemus, nunquam bubulum, semper humanum omnium dulcissimũ damus ex ipso ubere suctum,in quo nec butirum, aut caseus timendus:imò tota eius substantia,& natura uinifica,& uniformis existit. Caprinum verò solidius nutrimentum quàm asininum præstat: & minus putrescit,& stomaco gratius. Asininum autem omni alio lacte tenuissimum,& humidissimum,et ob id magis humectat,uelocius penetrat,et minus coagulatur, & magis aluũ solui,naturæ tamen humanæ non ita cognatũ,sicuti muliebre. Si quis aũt lac humanum abhorreat:illi,ut asino,lac asininum dandum:quod & Galenus festiuissimus 7. methodi elegantissime tradidit. Ouinũ verò quoniam

Vt uaria est animãtium natura: ita quoq; uarium est eorũ lac.

niam

niam præpinguẽ nimis, & crassum, ac reliquorum animantium lac tabidis, phthisicis, ac febribus omnibus putridis ut inutile reijciendum.

Primum autem bonitatis locum obtinet lac humanum, mox asininum, deinde caprinum.

Vt mirari fortasse liceat, quòd Galenus in libro de tabe, & scriptores omnes asininum lac caprino prætulerint. Sed ratio est, quia in tabe magis humectantibus & penetrantibus quàm nutrientibus indigemus. Illud etiam obseruandum, ne lac ipsum fluidum, & aquosum, aut crassum nimis, & tenax existat: sed mediocritatem quandam in substantia retineat: & quod ungui instillatum non defluat, sed coalitu suo hæreat: in colore candidum, in odore gratum, in sapore dulcissimum. hæc omnia in iuuenili nutrice inquirenda sunt & exploranda.

Hactenus differentias, & optimi lactis conditiones recitauimus. Remanet itaque (ut opinor) ueritas, in aliquibus casibus, & in aliquibus febribus putridis dandum omnino esse lac, humanum præcipuè, nunquam bubulum, aut ouinum.

Hæc fermè omnia sunt excerpta ex Dioscoride, ex Hippocrate & Galeno, et magna ex parte ex Clarissimo pceptore meo Hieronymo Eugubio praxim medicinæ Patauij in primo loco publicè profitente. Si quis autem difficultatem, & materiã: hanc diffusius uidere uoluerit, adeat eius Eugubij tractatũ de lacte ab ipso editum: quæ enim ille tum legendo, tum scribendo copiosius disseruit: ego hodie hoc colloquio uobis ita adhortantibus, & persuadentibus sub compendio perstrinxi, & recitaui, quod eò libentius feci, ut præceptoris mei eruditissimi opinionem hanc fuisse cognosceretis quam opinionem ego ratione, & experientia uerissimam esse expertus sum.

Dixit etiam Eugubius cùm Romę medicus Pontificius esset, se multos curasse febribus putridis longis laborantes, lacte humano ex ipsis uberibus sucto. Quorum omnium princeps extitit Reuerendissimus Petrus Bembus Patricius Venetus, vir latinis Græcisque literis, & Hetrusca lingua eruditissimus, mox Cardinalis Illustrissimus & quem ego Patauij sequentibus annis sæpius alloquutus sum. Et ita ab Eugubio sanitatem se consequutum esse testatus est mihi Bembus.

Non alienum ab instituta serie fuerit, si quid Dioscorides, & Galenus de humano lacte senserint, recitauerimus. Dioscoridis uerba libro secundo cap. 62. secundum sectionem Marcelli, hæc sunt.

Dulcissimum est hominis lac, idem maxime nutrit, prodest stomachi erosionibus, & tabi, quam Græci phthisim dicunt, ex ipso ubere suctum. „ „

Galeni

Galeni uerba quinto de morbis curandis cap. 12. hæc sunt.

» *Veteres uerò etiam mulierem lactantem ijs qui phthoe consumerentur asta*
» *re uoluerunt: quorum sententiæ ipse quoque accedo: & quòd familiare id sit,*
» *& quòd priusquam ab ambiente refrigeretur, id summi uoluerunt.*

Galeni uerba 7. de morbis curandis, hæc sunt.

» *Et sanè utilissimum lac est, cum ex ipsis mamillis quis hauserit, ueluti Eu-*
» *riphon, & Herodotus, & Prodicus censent: qui tantum in eo ad corpora resi*
» *cienda fiduciam habuerunt: ut etiam qui phthoe tabescerent, ex ipsa mulieris*
» *papilla lac sugere iuberent.*

Galeni uerba quinto de tuenda ualetudine hæc sunt.

» *Porrò commoda lactis iam alijs ante me medicis dicta sunt: nempe uentris*
» *moderata deiectio: succi bonitas, & nutritio.*

Galeni uerba in libro de tabe hæc sunt.

» *Mihi sanè nihil ad hæc omnia lacte uidetur præstantius: præcipuè verò si*
» *quis sustinere uoluerit, ut ore apprehensa mamma muliebri lactet: quemad-*
» *modum Euriphon, & Erodicus phthisicis præcipiunt: sin minus, bibat saltem*
» *lac asininum, dum adhuc calet, & tempore breuissimo aeri expositum fuerit.*


Finis. Laus Deo, & Virgini eius matri.

FAVSTI CORNALIS
SACERDOTIS BRIXIANI

AD IOANNEM PLANERIVM
Philosophiæ, & Medicinæ Doctorem.



VM Phœbo certant Musæ (mirabile dictu)
Ista hunc auctorem, dicit & ille suum.
Artis ut inuentor medicæ proclamat Apollo,
Cedite Castalides, corporis unde salus.
Contra illæ, tu corporibus das Phœbe salutem:
Nos animum facimus protinus esse pium.
Ad te conuersæ musæ hinc, hinc Phœbus Apollo
Exposcunt, cuius numinis esse uelis.
Hoc opus ambiguum est: pars utraq; plus sibi iuris
Esse putat. Sensu hæc sunt dirimenda tuo.


LEGATORIA A. PANDIMIGLIO
1971
ROMA